



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sponsalia Et Matrimonium**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

Titulus XVI. De Matrimonio, contracto contra Interdictum Ecclesiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

test, illum inducere ad ingrediendam Religionem, & servandam perpetuam continentiam, ut constat ex *c. fraternitatis 6. pr. h. tit.* Alex. de Nevo *ibid. n. 8.* Canif. *n.*

2. Pirhing *hic n. 24.* quia Matrimonij vinculum, si quod fortè subest, eo ipso dissolvitur, & sic nullum periculum imminet alteri conjugum, si aliud Matrimonium ineat.

## TITULUS XVI.

### De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesie.

Explicavimus hæctenus Impedimenta Matrimonij dirimentia, & aliqua etiam Impedientia. Superfunt ex ultimis istis tria, quæ hoc Titulo examinanda restant,

videlicet Interdictum Ecclesie, Tempus Feriatum, & Crimen. Subjungentur aliqua de Dispensatione Impedimentorum.

#### §. I.

### De Interdicto, seu Venio Ecclesie.

## S U M M A R I U M.

1. Quot modis dicatur Matrimonium contrahi contra Interdictum Ecclesie?
2. Quibus ex causis interdicti illud possit?
3. A quo Superiore?
4. 5. 6. An etiam à Parocho?
7. Sub qua culpa obliget hæc prohibitio?
8. An validum sit Matrimonium, contractum contra prohibitionem?
9. 10. 11. Maxime Summi Pontificis?
12. 13. 14. 15. Aut alterius Superioris, dum

lis, vel appellatio super Matrimonio prius contracto pendet?

16. 17. &c. An Interdicti Ecclesie nomine hic etiam veniat Interdictum Ecclesiasticum, quatenus illud Censura est?
21. An valeat Matrimonium, ab Excommunicato, vel cum Excommunicato contractum?
22. &c. Quomodo peccet Excommunicatus contrahens Matrimonium, vel cum eo contrahens?

**Q**UÆRITUR 1. Quot modis dicatur Matrimonium contrahi contra Interdictum Ecclesie? *R.* Duobus modis. 1. *Generaliter*: & hoc sensu contra Interdictum Ecclesie Matrimonium celebratum dicitur omne illud, quod celebratum est contra præscriptum Sanctionum Ecclesiasticarum, & vel maximè, si hoc fiat cum Impedimento Dirimente. 2. *In specie*. & tum contra Interdictum Ecclesie contrahi Matrimonium dicitur, quod initur à personis, quibus ejusdem contractus à Legitimo Superiore ex justa aliqua causa est interdictus. *Wagnerck ad Rubr. h. tit. not. 1.* *Engl. hic §. 1. n.* 3. *Pirhing n. 1.* *König n. 2.* *Wiestner n. 2.* In hoc secundo sensu acceptum Interdictum constituit speciale Impedimentum, non Dirimens, sed impediens Matrimonium: & definitur, quòd sit *specialis prohibitio, quæ Matrimonium auctoritate Ecclesiastica quibusdam personis ex causa legitima redditur illicitum.* *Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 76.*

**2** *Dubium* esse potest, quænam sint causæ, ob quas à Superiore interdicti Matrimonium possit? *R.* Sunt tres præcipuè. 1. Si alter eorum, qui Matrimonium volunt contrahere, ligetur Sponsalibus, cum alia prius initis; nam hæc sine gravi causa violari non possunt. 2. Si non vana sit suspicio latentis Impedimenti, conjugium inter ipsos impediens, vel etiam dirimentis,

3. Si ex futura talium personarum conjunctione timeantur graves rixæ, inimicitie, scandala, aliæve incommoda *c. fin. §. cum autem de clandest. despons. c. littere 1. & c. seq. h. tit.*

**Q**UÆRITUR 2. Quis Superior ex hujusmodi causis interdiceret Matrimonium possit? *Certum est 1.* Quòd hoc possit Papa; quia hic est supremus omnium per totum Orbem Christianorum Pastor, & Judex. *Certum est 2.* Idem posse Episcopum respectu suæ Diocesis, & quemvis alium Prælatum Ecclesiasticum, si is in certi territorij Clerum, & populum Jurisdictionem quasi Episcopalem obtineat. *Certum est 3.* Eandem potestatem competere Capitulo Sede vacante, & istius, aut etiam Episcopi Vicario in Spiritualibus Generali.

*Dubium est*, an Matrimonium interdiceret Sponsis possit proprius ipsorum Parochus? *Quidam cum Goffred. in Rubr. h. tit. n. 1.* & *Angel. V. Matrimonium 3. Imped. 1. n. un.* id soli Judici Ecclesiastico tribuunt, cujus est de causis Matrimonialibus cognoscere. *Rationem dant*; quia tale Interdictum fieri non potest sine causæ cognitione, atqui cognitio causarum Matrimonialium non ad Parochos, aut ipsos etiam Decanos, & Archidiaconos spectat, sed ad solum Judicem Ecclesiasticum *c. ex litteris 1. de Consang. & Affinit. junct. Gloss. V. potestatem, & Trid. sess. 24. c. 20. y. ad hæc. de reform.* *Sed*

Sed omnino dicendum est, quòd etiam Parochus ex causis relatis n. 2. præsertim si Matrimonio opponatur Impedimentum, contractum illius impedire, & extrajudicialiter interdicare possit, ac debeat ex officio, donec causa discutiatur, & decidatur à Judice Ordinario. Ita Hofst. in c. fin. v. interdicatur de cland. despons. Joan. Andr. ibid. n. 6. Alex. de Nevo n. 16. Sylv. v. Matrimonium 7. q. 1. dist. 2. Armill. v. eod. n. 54. Navar. Man. c. 22. n. 68. Philiac. de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 4. Sanch. l. 3. de Matr. D. 15. n. 3. & l. 7. D. 6. n. 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. n. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 2. §. 1. n. 1. Gonzal. in c. fin. h. tit. n. 2. Barbof. ad Rubr. tit. eod. n. 2. §. 4. Wagnereck ad cit. Rubr. not. 2. Bosco de matr. D. 12. sect. 2. concl. 3. n. 114. Illung tr. 6. D. 9. n. 59. Wex Ariad. p. 5. tr. 2. §. 4. n. 5. Honor. hic n. 1. Pirhing n. 1. fin. König n. 2. Schamlog. n. 2. Wiestner n. 4. Reiffenstuel n. 4. Magnif. P. Schmier p. 3. de matr. c. 1. n. 78. & colligitur ex c. fin. cit. §. cum autem, ibi, Contractus interdicatur, ubi agitur de Parocho; & clarius §. fin. ibi, Sane si Parochialis sacerdos tales conjunctiones (personarum Impedimento laborantium) prohibere contempserit &c.

Dixi, Extrajudicialiter; nam tale Interdictum cause cognitionem Judicalem non exigit. Et hinc patet ad Rationem dubitandi; nam Interdictum, si judicialiter, & per modum sententiæ fiat, causa cognitionem Judicalem exigit, non tamen, si fiat extrajudicialiter; igitur etsi Parochus non possit de causa matrimoniali cognoscere, interdicare tamen Matrimonium extrajudicialiter potest; donec de causa cognoscat Episcopus, vel ille ad quem cognitio harum causarum de Jure pertinet.

Quærentur 3. Quomodo obliget, & quem effectum habeat Interdictum, seu prohibitio ab Ecclesiastico facta, ne Matrimonium inearur? Convenit inter DD. 1. talem prohibitionem obligare sub morrali. Ita Sylv. v. Matrimonium 7. q. 1. dist. 3. Sanch. l. 7. de matr. D. 17. n. 1. Barbof. in c. 2. b. tit. n. 4. Pirhing hic n. 7. Reiffenstuel ibidem n. 5. cum communi aliorum arg. c. fin. h. tit. ubi etiam excommunicari jubetur, qui stante prohibitione, ob suspicionem consanguinitatis factâ, Matrimonium contrahit. Ratio patet; quia est præceptum Ecclesie in re gravi. Excipit Sanch. l. cit. quando fit ex causa levi ad tempus, vel quando Sponsis certò constat, Impedimentum, aut aliam causam, quæ timetur, & ob quam factum est Interdictum, non subsistere; tunc enim solum obligaret sub veniali.

Concordant 2. regulariter saltem subsistere Matrimonium, celebratum contra interdictum Episcopi, vel alterius Prælati Papæ inferioris, Abb. in c. 2. b. tit. n. 3. Sanch. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

l. 7. de matr. D. 2. n. 2. & hoc teste omnes. Colligitur ex c. litteræ 1. & c. seq. b. tit. ubi sustinetur Matrimonium sic contractum, & conjuges ab eo recedere non permittuntur. Ratio est, quia cum hujusmodi Prælati non habeant potestatem statuendi Impedimenta nuptialia dirimentia Matrimonium, ipsorum prohibitio istius valori obflare non potest. Ne tamen præceptum, Matrimonij contractum justa de causa prohibens, contemptibile ex poenæ immunitate fiat, conjuges, contra Interdictum Matrimonium contrahentes, separandi ad tempus sunt, impositâ de tanto excessu poenitentia condigna, ut statuitur c. litteræ cit. Tempus hoc separationis arbitrium judicis est, ut cum Hofst. Ant. de Bur. Henr. de Boich. Astenf. notat Sanch. l. cit. Neque obstat, quòd in c. cit. sermo sit de separatione per mensem; nam ut idem Sanch. cum alijs explicat, Mensis ibi ponitur exempli gratiâ, & non ad arctandam Judicis facultatem. Imò potest Judex loco separationis decernere poenam aliam: quod maxime faciendum, si periculum incontinentiæ sublit, Sanch. l. cit.

Dubium est, an etiam validum sit Matrimonium, contractum contra Interdictum Summi Pontificis? Rationem dubitandi facit 1. can. videtur 1. caus. 35. q. 6. ubi Coelestinus Papa, Quod contra interdictum, inquit, & ordinem Ecclesie factum est, ratum non haberi, tam Divina, quam humana Legis proclamatur auctoritas. 2. c. ad diffotvendum 13. de Despons. impub. ubi Innocentius III. Quod si, ait, contra interdictum nostrum in præjudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino cavere. 3. l. non dubium 5. C. de LL. ubi nullum pactum, nulla conventio, nullus contractus dicitur inter eos subsecutus, qui contrahunt, Lege contrahere prohibente; sed Interdictum vim habet Legis prohibentis.

Hæc Argumenta in diversas Sententias inclinârunt DD. quorum sex omnino enumerat Sanch. l. 7. de Matr. D. 2. à n. 3. Optimè sentiunt, qui cum Pont. l. 6. de Matr. c. 7. n. 5. Palao tr. 28. D. 4. p. 2. §. 1. n. 2. Gonzal. in c. fin. h. tit. n. 2. Zoef. hic n. 1. & 2. Wiestner n. 5. Reiffenstuel n. 9. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 83. & seqq. distinguunt, an hoc Interdictum Papæ sit simplex solum, an verò unitum clausulâ irritante. Si primum, DD. cit. Matrimonia, contra Interdictum hujusmodi celebrata, pro illicitis tantum habent, ex ratione; quia prohibere, & irritare diversæ significationis sunt; igitur ex simplici prohibitione Matrimonij hujus nullitas inferri non debet, cum notissimi Juris Regula sit, quòd multa prohibeantur fieri, quæ si facta fuerint, roboris firmitatem obtinent c. ad Apostolicam 16. de Regular.

Si secundum, iidem DD. contractus matrimoniales, contra Interdictum hujusmodi

Yy

modi

modi initos, tanquam invalidos rejiciunt: & de hoc procedunt textus n. 9. allati. Parum autem refert, an Interdictum hoc à Papa latum sit Constitutione generali, an verò præcepto personali, ut bene contra *Gofredum* advertit *P. Wiestner hic n. 6.* quia Interdictum, latum Constitutione generali, ab Interdicto posito per præceptum personale solum differt extensione, non autem vi obligandi, aut irritandi. Item parum interest, an hujusmodi Interdictum munitum sit clausulâ speciali, an solum generali, modò utraque sit actum irritans; nam etiam Matrimonium, contra prohibitionem solum clausulâ generali munitam contractum irritum est, quippe cum aliàs non appareret, quid per illam irritum redderetur.

Porro n. 8. consultò addidi *Regulariter saltem*; nam magis controvertitur, & consequenter ulterius.

12. Queritur 4. An valeat Matrimonium, ininitum contra prohibitionem Ecclesiæ, quâ Apostolica, vel alia Ecclesiastica Autoritate interdictum est Sponsis, ne dum lis, vel appellatio pendet super Sponsalibus inter se contractis, & carnali copulâ consummatis, aliud contrahant Matrimonium in præjudicium priorum Sponsalium? *Certum est*, ante Trid. hujusmodi Matrimonium habitum fuisse pro invalido; nam eo tempore Sponsalia de futuro, subsecutâ inter Sponsos carnali copulâ, transibant in Matrimonium, quòd id factum præsumeretur animo conjugali, prout habetur *c. veniens 15. c. is, qui fidem 30. de sponsal. c. de illis 3. & c. per tuas 5. de condit. apposit. conf. oriebatur ex ijs Sponsalibus Impedimentum Ligaminis, cum quo contractum Matrimonium aliud est Jure naturali irritum,*

*Dubium est*, quid de valore hujus Matrimonij sentiendum sit nunc post *Tridentinum*, quo Matrimonia hujusmodi præsumpta sublata sunt? Etiam hoc Jure pro invalido habendum, contendunt nonnulli, quos citat, & sequitur *Clericatus de sacr. Matr. decis. 36. n. 21. Fundantur 1. textu c. accepisti 2. de spons. duor. ubi Brocardus, Accepisti, inquit, illam in uxorem tibi, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam; quia nunquam potest tibi fieri legitima. 2. c. tua fraternitas 4. eod. ubi Alexander III. de his, qui coram Episcopo super desponsatione facta per consensum mutuum de præsentis controversiam movent, præcipit Archiepiscopo Genuensi, ut eis in Ecclesia publicè interdicit, ne ante decisionem cause aliud contrahant Matrimonium: & additur, si contra interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumserint, ipsum Archiepiscopum Matrimonium tam presumptuosè contractum posse irritare. 3. Ratione deducta ex c. tua cit. nam ut inde colligitur, & tradit *Gloss. ibid. V. poteris, Abb. n. 4. Henric. de Boich. in c. fin. eod. cum alijs, irritum nullumque est Matrimonium, quod**

ininitum est contra Interdictum, à Prælato Ordinario publicè factum, si Interdicti, seu prohibitionis causa non merè temporanea, sed perpetua sit; atqui causa Sponsalium de futuro, quibus accessit defloratio Sponsæ, est causa perpetua; quia probrum Sponsæ, ex ea ortum, & illegimitas prolis, ex ea susceptæ, semper durat, nisi tollatur per superveniens Matrimonium; ergo Matrimonium, quod insuper habito Interdicto Ecclesiæ, contractum est cum alia, irritum, & nullum erit. 4. Delicta suos debent tenere auctores, neque decet, ut vel delinquens ex delicto suo sentiat commodum, aut innocens ex eo patiatur detrimentum; hoc autem fieret in casu præsentis; nam si tale Matrimonium subsisteret, Sponsa deflorata perpetuum pateretur damnum, ac præjudicium, Sponsus verò prohibitionis contemptor ex contracto sic Matrimonio perpetuum reportaret commodum.

*Sed dicendum*, etiam hoc casu, quòd prohibetur, ne, dum lis, vel appellatio super Sponsalibus prius initis pendet, Matrimonium contrahatur cum alia, istud, si nullo alio Impedimento obstante, contra hujusmodi prohibitionem ineatur, validum esse. Ita *Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. pr. n. 6. Lancellot. de Attemptat. p. 2. c. 20. limit. 18. n. 1. Barbof. in c. 13. de despons. impub. n. 3. § 5. Fagn. in c. litteræ 1. b. tit. n. 1. Vivian. in c. ex litteris 2. pr. Wagnereck ibid. not. 1. Engl. tit. de Sponsal. §. 3. n. 4. Canif. hic n. 2. Wiestner ibid. n. 15. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 91. § seqq. & colligitur ex c. litteræ, & c. ex litteris citi. in quibus Matrimonium, etiam durante controversia super Sponsalibus, antehac celebratis, ininitum deciditur esse validum. Ratio est, quia vel Interdictum in tali Hypothesi provenit à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, aut alio Prælato Papâ inferiore. Si prius, constat ex dictis *ad quest. præc.* illud vim irritandi non continere, nisi adjunctam habeat clausulam irritantem. Si posterius, cum ex dictis n. 8. pateat, quòd impedimentum dirimens statui à Prælato Papâ inferiore nequeat, integer hoc casu valor Matrimonij, contra hujusmodi prohibitionem contracti, erit.*

Neque aliud probant Argumenta n. 13. allata. *Ad 1. textus c. accepisti cit.* loquitur de casu, quo prima Sponsalia, super quibus lis pendebat, non erant de futuro, sed de præsentis, adeoque verum Matrimonium. *Ad 2. dum c. tua fraternitas cit.* statuitur, ut secundum Matrimonium, quod lite super Matrimonio prius inito pendente contractum fuit, ab Archiepiscopo irritetur, ibi, ut *Gloss. V. poteris* explicat, Pontifex aliud non voluit, quam ut eo copulati separentur à cohabitatione tamdiu, donec cognoscatur de valore Matrimonij prioris; conf. eo textu principaliter declaratur non

non tam efficacia prohibitionis Ecclesiasticæ, quam vis Impedimenti ligaminis, orti ex Matrimonio priori litigiofo. Ad 3. causæ perpetuæ nomine intelligendum est Impedimentum dirimens, causæ temporalis autem impediens: quod confirmatur etiam ex eo, quia Glossa *l. cit.* dicit, quòd probato Impedimento, conjuges separari debeant ex toto; non probato, permittendum, ut remaneant simul; igitur non ob prohibitionem, sed ob impedimentum, propter quod prohibitum est ejusmodi Matrimonium, illud erit irritum: non est autem irritum, nisi ob Impedimentum dirimens; ergo &c. Ad 4. imprimis idem damnnum sponsæ, & proli infertur etiam casu, quo Sponsus Matrimonium cum alia iniit ante interdictum Ecclesiæ, neque tamen illius contractus propterea irritus est. Deinde damnum illud, atque injuria alio modo reparari potest, & ad hoc tenetur, compelliq; à Judice Ecclesiastico deflorans potest: quòd verò ex delicto suo commodum referat, est præcisè per accidens, & non ratione delicti, sed Ligaminis, quòd inducitur per Matrimonium validum, & solvit Sponsalia præcedentia.

16 Quaritur 5. An Interdicti Ecclesiæ nomine veniat hic etiam interdictum Ecclesiasticum, quatenus illud Censura est? Ita quidem putarunt aliqui cum Ugolino, de interdicti, tabul. 5. c. 7. §. 3. n. 1. & c. 10. §. 1. n. 1. qui propterea etiam docuerunt, Matrimonium saltem licitè non celebrari tempore Interdicti Ecclesiastici. Ducuntur 1. quia Interdicti Ecclesiastici tempore prohibita est administratio Sacramentorum, præter excepta, scilicet Baptismum, Poenitentiam, & Eucharistiam per modum Viatici; atqui etiam Matrimonium est Sacramentum, neque reperitur exceptum; ergo &c. 2. Causæ, ob quas prædicta tria Sacramenta tempore Interdicti Ecclesiastici administrari possunt, juxta c. fin. de sent. excomm. in 6. sunt, ne ex talium Sacramentorum negatione excrescat indevotio populi, pullulent hereses, pericula animarum insurgant, ac Ecclesijs sine culpa earum debita obsequia subtrahantur. Atqui rationes istæ in Matrimonio cessant. 3. Parochus, cum hodie absque ejus præsentia consistere Matrimonium nequeat, est quodammodo ejus minister; atqui Parocho tempore Interdicti prohibitum est administrare quevis Sacramenta, exceptis tribus supra dictis; ergo &c.

17 Sed tenenda est negativa Sententia cum Innoc. in c. non est 11. in fin. de sponsal. Joan. Andr. ibid. n. 5. Abb. n. 8. Alex. de Nevo n. 21. & seq. Sylv. V. Interdictum. 5. §. 7. n. 9. except. 5. Armill. V. eod. n. 53. Navar. Man. c. 27. n. 179. Covar. in c. alma p. 2. §. 2. n. 7. Henriq. l. 11. de Matr. c. 16. n. 2. comment. lit. s. & l. 12. c. 2. n. 1. comment. lit. E. & l. 13. de Excomm. c. 45. n. 3. Sanch. l. R. P. Schmalgrueber L. IV.

7. de Matr. D. 3. n. 2. Conink D. 30. n. 23. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. n. 1. 7. de Matrimonio, Palao tr. 28. D. 4. p. 2. §. 1. n. 6. Bosco de Matr. D. 12. sect. 2. concl. 2. à n. 76. Wiestner hic n. 21. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 94. juxta quos tam Sponsalia, quam Matrimonium tempore Interdicti Ecclesiastici validè, & licitè celebratur. Sumitur ex c. Capellanus 4. de Ferijs, ubi habetur, eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ut quocumque tempore Matrimonium contrahatur. Ratio est, quia tempore Interdicti venita sunt solum illa Sacramenta, quæ purè sunt talia, atque à Ministris Ecclesiasticis administrantur; atqui Matrimonium habet sibi admixtam naturam Contractus, & pro ministris agnoscit ipsos contrahentes; igitur sicut cæteri contractus tempore Interdicti licitè celebrantur, sic etiam Matrimonium,

Proceditque hoc 1. etiam de speciali-<sup>18</sup> ter, & personaliter interdictis; possunt enim & isti licitè contrahere Matrimonium, si contumaciam deposuerint, ut cum Innoc. Anchar. Rosell. Sylv. Navar. Henriq. & alijs à se cit. advertit Sanch. D. 8. cit. n. 5. Secus, si in contumacia sua peristant; nam isti licitè contrahere Matrimonium nequeunt, non quidem ratione Interdicti, & Censuræ, sed quia per contumaciam suam obicem ponunt gratiæ recipiendæ per Sacramentum. Procedit 2. ut celebrari Matrimonium, & administrari tria Sacramenta supra dicta possint etiam in Ecclesia specialiter Interdicto supposita; quia nulla reperitur prohibitio, quippe cum à quovis Interdicto Sacramenta ista exempta sint. Sanch. n. 6. ubi addit, decere, ea, alibi celebrari, si commodè fieri possit. Procedit 3. & à fortiori de Denuntiationibus, præmittendis Matrimoniali contractui; nam istæ tempore Interdicti, & in loco Interdicto, saltem in Concionibus licitè fieri possunt: In Missa si fiant, peccatur quidem Missam celebrando extra tempora Jure permittenda, non tamen faciendo Denuntiationes; quia hæc, cum non sint Officium Divinum, minime opponuntur Interdicto. Sanch. n. 7.

Idipsum nonnulli cum Rosella, Angelo, Gaëta apud Sanch. n. 9. dicunt de Benedictionibus, ajuntque Benedictiones nuptiales licitè fieri tempore Interdicti, & in loco interdicto posse; quia sunt accessoria Matrimonio: cons. hoc permisso, etiam ipsæ permittæ censentur, sicut permittis tempore Interdicti Baptismo, & Confirmatione, etiam permittæ censetur confessio Chrismatis. Sed longè verius est, nuptias, tempore Interdicti contractas, illo tempore benedicere non posse, nisi contrahentes habeant privilegium assistendi Divinis. Sanch. n. 11. Conink n. 23. Palao n. 27. Wiestner n. 23. Ratio est, quia licet hujusmodi benedictiones sint accessoria Matrimonio, cum tamen fiant à Sacerdote, & tempore

Sacrificij Missæ, adhibitis quibusdam Orationibus, sub Officio Divino continentur, & cons. simul cum illo tempore Interdicti Ecclesiastici prohibentur. Ad id, quod additur de Confectione Chrismatis, negatur paritas; nam Chrisma in Confirmatione est de essentia, in Baptismo de necessaria ejus decencia, solùmque potest in Feria V. Hebdomadæ sanctæ confici, & quo annis renovari debet: unde si tunc ratione Interdicti non conficeretur, Confirmationis Sacramentum non posset validè, & Baptismus non posset decenter administrari; hæ rationes autem in Benedictionibus nuptialibus locum non habent.

20 Ad Argumenta n. 16. allata patet ex dictis. Ad 1. Matrimonium non excipitur, quia supponitur, aliunde, & præsertim ex praxi, & usu Ecclesiæ manifestum esse, quòd Matrimonij contractus nunquam intelligatur prohibitus. Ad 2. eæ rationes traduntur respectu Sacramentorum, quæ sunt merè Spiritualia: tale non est Matrimonium; quia etiam est contractus, qui tempore Interdicti non prohibentur: imò ratio Sacramenti in Matrimonio tantum accessoria est contractui; & cons. seclusa speciali prohibitione, istius permissionem sequitur juxta Reg. accessorium 42. in 6. Ad 3. Ministri in Sacramento Matrimonij sunt ipsi contrahentes; Parochus verò solùm est testis.

21 Quæritur 6. An valeat Matrimonium, quod contrahitur ab Excommunicato, vel cum Excommunicato? Negavit, esse validum Martinus de Magistris relatus à Cajet. 2. 2. q. 154. art. 2. dub. 3. saltem si contrahens sit Excommunicatus vitandus, ex ratione, quia ita Censurato interdicta est mutua communicatio cum cæteris fidelibus, & vicissim istis cum illo; atqui contrahentes Matrimonium vel maximè communicant se cum invicem; ergo &c.

Sed dicendum, est absolute Ecclesia potuerit Matrimonium sic contractum irritare, defacto tamen illud non esse irritum. Ita S. Thom. in 4. dist. 39. q. un. art. 1. ad 5. Palud. ibid. dist. 26. q. 2. art. 2. concl. 1. n. 8. Cajet. l. cit. art. 7. dub. 3. Joan. Andr. in c. significasti 6. de eo, qui duxit Sc. n. 3. Abb. ibid. n. 3. Anchar. n. 3. Alex. de Nevo n. 3. Sylv. V. Excommunicatio 3. pr. Armill. V. eod. n. 9. sim. & V. matrimonium n. 67. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. pr. n. 3. Gaëta in can. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 13. Henric. l. 13. de Excomm. c. 10. n. 1. Sanch. l. 7. de matr. D. 9. n. 2. Gutier. de matr. c. 83. n. 4. Pont. l. 6. c. 10. n. 2. Wiestner hic n. 24. Magnif. P. Schmier p. 3. de matr. c. 1. n. 97. Colligitur ex c. significasti cit. ubi Matrimonium initum ab Excommunicato disertè legitimum judicatur, modò inter eum, & Sponsam non intercesserit Impedimentum dirimens criminis ob machinationem nec is uxoris defunctæ,

vel adulterium cum spe, aut promissione Matrimonij commissum cum nova conjuge. Ratio est, quia eà Censurâ ligati non sunt incapaces obligationis ad mutuam cohabitationem, & actus conjugales.

Dubium est, an, & qualiter peccet 22 Excommunicatus, vel is, qui cum ipso contrahit Matrimonium, antequam ille à Censura hac absolvatur? Conveniunt satis DD. 1. ipsum Excommunicatum, si ante absolutionem Matrimonium præsumat contrahere, graviter peccare. Palud. in 4. dist. 26. q. 2. art. 2. concl. 2. n. 9. Tabien. V. Excommunicatio 1. q. 15. n. 17. Navar. Manual. c. 22. n. 81. Sanch. D. 9. cit. n. 3. Gutier. n. 4. §. 5. Pont. n. 2. cit. Vall. Append. b. tit. n. 2. §. 12. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 96. & patet ratio; quia graviter peccat is, qui in Excommunicatione majore administrat, vel recipit Sacramentum; atqui Matrimonium contrahentes sibi mutuò administrant Sacramentum, illudque recipiunt; ergo &c.

Convenit inter eosdem 2. similiter reum 23 esse mortalis culpæ, qui Matrimonium init cum Excommunicatione minori, ante absolutionem ab ea, nam & huic Sacramentorum receptio graviter est prohibita c. fin. §. peccat autem de Cleric. Excomm. vel deposit. Palud. n. 10. Navar. n. 81. Sanch. n. 5. & alij supra. Putatque hoc, & priori casu Sanch. l. cit. duplex esse peccatum mortale, unum, quòd peccato mortali infectus recipiat Sacramentum, alterum, quòd illud recipiat ligatus Censurâ, quippe quod culpa mortalis est, quamvis sic Excommunicatus jam esset in gratiâ.

Conveniunt 3. peccare mortaliter eum 24 qui scienter contrahit cum Excommunicato vitando; quia participat in Sacramento cum ligato Excommunicatione majore, qui est unus ex casibus, in quibus participatio hæc mortalis est secundum omnes. Sanch. n. 6.

Difficultas est, si quis scienter contrahat cum Excommunicato tolerato? Viguer. l. Infiti. c. 16. §. 7. §. 8. Imped. 1. & Petr. de Ledesm. de Matr. q. 59. art. 1. §. penult. indistinctè, & generaliter docent, contrahentem Matrimonium cum Excommunicato reum esse culpæ mortalis. Rationem dant; quia; cum per Concilium Constantiense nullus sit favor factus Excommunicato tolerato, iste administrans Sacramentum peccat, & huic peccato cooperatur, qui Sacramentum ab ipso recipit: est autem Jure naturali prohibitum cooperari peccato alterius; ergo &c.

Contra Sanch. l. cit. n. 8. Gutier. n. 7. 25 & alij verius existimant, nullam committi culpam ab eo, qui Matrimonium contrahit cum Excommunicato tolerato, ex ratione; quia si peccaret, vel peccaret, quatenus ipse Excommunicatum pravenit, & ab eo petit sibi administrari Sacramentum, vel quatenus

tenus ab Excommunicato prævenitur, & consentit Matrimonio sibi ab Excommunicato oblato. Si primum, communis doctrina est apud Sanch. l. cit. quòd eo casu nec Excommunicatus, ex requisitione fidelium Sacramentum administrans peccet: & sic non Excommunicatus, id petens ab Excommunicato, non cooperatur alterius peccato; conf. cessat ratio, quã adversa Sententia nititur. Si secundum, iterum non peccat cum Excommunicato tolerato contrahens; quia solum utitur malitiã alterius parati, ut suã utilitati consulat; sed hoc non est propriè cooperari peccato alterius; aliàs etiam peccaret, qui nummos, quibus indiget, sub usuris ab Usurario recipit.

26 Ex quo patet Argumentum contrarium: dicendum enim à Concilio Constantiensi

nullum esse factum Excommunicato favorem directè, & ex intentione; factum autem indirectè, & quatenus est necessarium, ut fideles possint tutè, & plenè frui privilegio participandi cum ipso Excommunicato, quod cum plenissimum fit juxta verba Decreti, *Constituimus, ut nemo posthac teneatur abstinere*, etiam ad Sacramenta se extendit, atqui non possent privilegio hoc fideles plenè, & tutè frui, si non etiam Concilium indulgisset Excommunicatis toleratis, ut casu, quo id ab ipsis petitur, licitè administrare Sacramenta possent; quia cooperando peccato alterius & ipsi peccarent, sicque Decretum Concilij non fortiretur finem intentum, qui fuit evitare scandala, & pericula animarum, & subvenire conscientijs timoratorum.

## S. II.

## De Die, seu Tempore Feriato.

## S U M M A R I U M.

17. Quid intelligatur nomine temporis feriati?  
28. Hoderno Jure quousque se istud extendat?  
29. 30. Quã diei horã incipiat?

17 Quæritur 1. Quod tempus hic intelligatur nomine *Temporis feriati*? 28. Intelligitur illud tempus, quo Nuptiæ solennes ab Ecclesia prohibentur. Tempora hæc olim sat ampla fuerant; nam Nuptiæ interdicebantur 1. toto illo tempore, quod intercedit inter primam Dominicam Adventus, & Epiphaniam. 2. à Dominica Septuagesimæ usque ad Octavam Paschæ. 3. à feria II. Rogationum usque ad Octavam Pentecostes. 4. Præterea duabus, vel tribus Hebdomadis, Nativitatem S. Joannis Baptistæ antecedentibus, prut habetur *can. non oportet 8. § seqq. caus. 33. q. 4. c. Capellanus 4. v. quia ergo de Ferijs.*

28 Hoderno Jure tempus istud angustioribus terminis conclusum est; nam eo Nuptiæ solum prohibentur ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè, prout statuit Trid. *sess. 24. c. 20. Reform. Matr.* Ratio prohibitionis istius fuit; quia hæc sunt sacratori anni tempora, quibus Ecclesia optat, fideles vacare liberius Orationibus, jejunijs, vigilijs, & cæteris poenitentiae operibus: cum ergo ab his abstrahant Nuptiæ, meritò his temporibus fuerunt interdicitæ.

29 Quæritur 2. à qua diei horã tempus feriatum, & prohibitio solennium Nuptiarum incipiat? 28. De secundo tempore feriato à die Cinerum ad Octavam Paschæ sa-

31. An prohibeantur eo tempore Benedictiones Nuptiales?  
32. &c. An Contractus ipse Matrimonij?  
36. 37. 38. An traductio Sponse in domum Sponsi?  
39. 40. 41. An Matrimonij consummatio?

tis conveniunt DD. illud inchoari die Cinerum à media nocte, seu finitã ultimã horã feriæ 3. Saturnalium, quæ apud nos Germanos est horã 12. noctis intercedens inter feriam 3. & diem Cinerum: patetque hoc ex praxi Germaniæ nostræ, ubi Nuptialibus solennitatibus usque ad illam horam liberrimè indulgetur, teste Gobat *Experient. tr. 9. n. 74. Wiestner hic n. 35.*

In altero tempore aliqua est controversia; nam Sanch. l. 7. de Matr. D. 7. n. 2. putat, seclusa consuetudine, de Jure tempus illud incipere à primis Vesperis Dominicæ primæ Adventus; nam etiam ab illis incipit Officium illius Dominicæ. Pontius contra l. 6. de Matr. c. 8. n. 5. illud existimat inchoari primùm à media nocte, sicut in die Cinerum: & dat rationem; quia Tridentini Decretum, & Jura antiquiora, quibus nuptiæ ab Adventu prohibentur, interpretationem accipiunt à Concilio *Ravennaten. XI.* celebrato sub *Clem. V.* ubi dicitur prohibitio illa inchoari à prima Dominica Adventus, hanc autem certum est primùm inchoari à media nocte. Ex quo sequitur, spectato Jure, licitum esse fidelibus celebrare Nuptias toto Sabbato antecedente Dominicam istam: quod fortassis alia de causa non omittitur, nisi in venerationem diei Sabbatinæ, & quia Ecclesia illa die carnibus vesci prohibet.

Quæritur 3. Quid prohibeatur tempore feriato, an solæ Benedictiones nuptiales,

les, & cæteræ solennitates, an etiam ipse Contractus Matrimonialis? *Certum est*, prohibitas esse Benedictiones nuptiales: & quidem sub peccato mortali, ut cum alijs notat Paludan, in 4. dist. 32. q. 1. art. 4. n. 20. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 17. paulo post pr. Sylv. V. Matrimonium 7. q. 2. dict. 1. Cajet. V. Nuptiarum peccata, Navar. Man. c. 22. n. 71. Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 241. n. 4. Sanch. l. 7. de Matr. D. 7. n. 3. Sacerdos, adversus præceptum hoc benedicens Nuptias, puniendus est poenâ arbitrariâ, cum SS. Canones nullam præscripserint: Sponsi verò, præceptum hoc transgredientes, sunt in delicti poenam separandi, ut expressè habetur *can. non oportet 10. caus. 33. q. 4. ibi, separentur. Excipitur*, nisi esset periculum incontinentiæ in alterutro conjuge; tunc enim à separatione prædicta abstinendum, & alia poena injungenda esset, ut cum Paludano, D. Antonino, Rosella, Sylvestro, &c. notat Sanch. l. cit. n. 5. Contrà fieri tempore feriato possunt Denuntiationes Matrimoniorum; quia nullus textus eas hoc tempore prohibet.

**32** *Dubium est*, an eo tempore etiam illicitus sit ipse contractus Matrimonialis? *Affirmant* illicitum esse, Joan. Andr. in c. Capellanus 4. de ferijs n. 3. Host. in Summ. hic n. 3. Palud. in 4. dist. 32. q. 1. art. 4. n. 18. Major. *ibid.* q. 2. *fin.* & non obscurè tradit S. Thom. *dist. cit. q. un. art. 5. q. 4.* Colligi hoc videtur *1. ex can. non oportet cit. & seqq.* quibus generaliter prohibentur celebrari nuptiæ istis diebus. *2. ex c. Capellanus cit.* ubi illæ tempore Interdicti suspendi indistinctè dicuntur. *3. Ex ratione;* quia Matrimonium nunc celebrari debet in facie Ecclesiæ. atqui in hac celebrari sine benedictione non possunt Nuptiæ, igitur cum Benedictiones nuptiales prohibeantur tempore feriato, etiam prohibitus censetur ipse contractus.

**33** *Sed dicendum*, hodierno Jure præcisè spectato, quocunque anni tempore à fidelibus posse contrahi Matrimonium, si absque magna solennitate, & pompa fiat. Ita Gloss. in c. Capellanus cit. V. quocunque, Anton. de Butrio *ibid.* n. 9. Abb. n. 4. Imol. n. 1. not. 1. Sylv. V. Matrimonium 7. q. 2. dict. 5. Tabien. V. Impedimentum, Imped. 14. n. 1. & 2. Navar. Man. c. 21. n. 71. Henriq. l. 11. de Matr. c. 16. n. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 7. n. 12. Conink D. 30. n. 23. & 36. Pont. l. 6. c. 8. n. 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. n. 1. & alterum, Palao tr. 28. D. 4. p. 2. §. 1. n. 4. Barbosa, ad Rubr. h. tit. n. 2. Illung tr. 6. D. 9. n. 60. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 4. n. 4. Vallenf. hic n. 2. Zæf. n. 4. Honor. n. 5. Pirhing n. 10. Engl n. 4. Schambog. n. 2. König n. 3. Wiestner n. 32. Reiffenstuel n. 12. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 100. & ita est praxis complurium Ecclesiarum, in

quibus permittuntur Párochi interesse Nuptijs, quocunque tempore contrahantur. Consentit S. Congr. Cardd. Trid. Interp. ac etiam *Rituale Romanum*, quod Tit. de Sacr. Matr. postquam Sacra, quibus cum solennitate celebrare non licet nuptias, specificavit tempora, addit, *Matrimonium autem omni tempore celebrari potest*, intellige, *sive solennitate. Ratio est*, quia ad evitanda scandala, & pericula gravia peccatorum omnino conveniens fuit, ut conjugiorum contractus hoc tempore esset permissus.

Dixi *Hodierno Jure præcisè spectato*; aliud enim est, spectata consuetudine, quæ in pluribus Germaniæ nostræ Diocessibus obtinuit, ut etiam sine solennitate Tempore feriato Parochiani celebrare nuptias, & his Parochus assistere nequeat, nisi vel oborta sit à Superiore facultas, vel id petat necessitas, v. g. quia in articulo mortis constitutus, aut miles statim discensurus vult ducere concubinam ad legitimandas proles. Marchant. *Resol. Pastor. tr. 3. c. 3. n. 3.* Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. n. 1. Gobat *Exper. tr. 9. n. 71.* Schambog. *ac n. 2.* König n. 3. Wiestner n. 34. Reiffenstuel n. 13. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 103. Imò, ut Laym. l. cit. notat, in Bavaricæ Diocessibus etiam illa consuetudo viget, ut necessitate quoque urgente, licentiam assistendi Matrimonijs, tempore feriato celebrandis, ab Ordinario petere debeat Parochus, ubi id fieri potest. Debent itaque quoad hoc Párochi attendere Diocessis, in qua vivunt, consuetudinem, & eisdem se accommodare in assistendo Matrimonijs, tempore feriato sine solennitate celebrandis.

Ad Argumenta n. 32. proposita facilis est responsio. *Ad 1.* Textus illi, ut cum alijs notat Sanch. n. 14. non prohibent absolute Nuptias, sed illarum solennitates: & esto, prohibuerint ipsum Matrimonij contractum, Juri huic per contrariam consuetudinem in multis locis, imò per ipsum Trid. *sess. 24. c. 10. de reform. Matr.* derogatum jam est; dum enim dicta Synodus antiquas *solemnium nuptiarum prohibitiones ab omnibus observari præcipit*, argumento à sensu contrario non solennes hoc ipso permittit. *Ad 2.* Similiter c. Capellanus cit. intelligendum est tantum de Nuptijs solennibus; nam in his solis pugnat ratio, ob quam Nuptiæ illis temporibus prohibentur. *Ad 3.* In facie Ecclesiæ celebratum jam censetur Matrimonium, modò ineatur coram Párocho, & testibus, licet nulla alia accedat solennitas, & etiam si celebretur domi, ac sine benedictione, quæ adhiberi tunc tantum debet, quando per SS. Canones potest.

Quæritur 4. An traductio Sponsæ in domum Sponsi Feriarum tempore sit interdicta? *Affirmant* Sylv. V. Matrimonium 7. q. 2. post dict. 5. *dub. 2.* Rosell. V. Impedi-



mentum, imped. 17. pr. Veracrux p. 1. Specul. art. 14. concl. 4. Barth. à Ledesma. de Matr. dub. 60. concl. 3. Ant. Cuceh. l. 5. Inst. major. tit. 12. n. 9. Graff. p. 2. decis. l. 2. c. 13. n. 15. Nituntur textu can. nec uxorem 11. caus. 33. q. 4. ubi Nicolaus Pontifex absolute prohibet eo tempore uxorem ducere, i. e. traducere. Addunt rationem; quia hujus traductio animum profanis cogitationibus dissipat, & minus collectum ad devotionem, & Cultum Divinum reddit.

37 Sed distinguendum est intra traductionem solennem, & non solennem: illa tempore feriato prohibita est, hæc permissa, prout testatur ipsa consuetudo. Ita Paludan, in 4. diff. 32. q. 1. art. 4. n. 17. Angel. V. Matrimonium 3. Imped. 2. fin. Navar. Man. c. 22. n. 71. Bellarm. l. 1. de Matr. c. 31. fin. Sanch. l. 7. de Matr. D. 7. n. 16. & apud hunc alij. Ratio est, quia nimia mentis evagatio, dedecens illius temporis sanctitatem, minimè reperitur in traductione non solenni. Porro traductionis solennis nomine intelligitur illa, quæ fit cum convivij choreis, aliisque lætitiæ, aliquando satis effrenatæ signis, ut can. nec uxorem cit. innuit Pontifex, dum postquam dixit, eo tempore non licitum esse uxorem ducere, seu traducere, statim subjunxit, Nec convivium facere. Estque ex communi DD. apud Sanch. l. cit. n. 18. talis traductio solennis peccatum mortale, quamvis ipse horum rigorem moderetur, & tum solum peccatum mortale in tali traductione solenni agnoscat, quando nimius esset excessus, ita, ut sanctitati prædictorum temporum notabiliter detraheretur, & ansa notabilis offensionis, & scandali præberetur spectantium animis.

38 Ad textum in contrarium allegatum dico, ex ratione textus colligi, eum intelligendum esse de solenni traductione: & esto, loquatur etiam de non solenni, consuetudo illius Constitutionem ad solennem restrinxit. Neque aliud probat ratio, quippe quæ solum de solenni traductione procedit.

Quæritur 5. An tempore Feriato liceat consummare Matrimonium? Negant 39 non pauci DD. qui tamen circa gravitatem culpæ inter se non conveniunt; nam aliqui cum D. Antonin. Rosell. Angel. Sylv. Tabien. &c. putant id esse mortale; alij contra cum Armill. Cajet. Barb. à Ledesma solum culpam venialem agnoscunt. Nituntur tamen omnes iisdem fundamentis. 1. Quia can. nec uxorem 11. caus. 33. q. 4. eo tempore prohibetur traductio uxoris in domum Sponsi. hujus autem ratio alia esse non potest, nisi ut vitetur copula carnalis. ergo &c. 2. Can. non oportet 10. q. cit. celebrantes nuptias his diebus jubentur separari. malè autem separari juberentur, si liceret illis diebus Matrimonium contractum consummare. 3. Etiam Matrimonio consummato, non licet tempore Orationis, & jejuniij vacare copula. ergo à fortiori non licet consummare.

Sed dicendum, non esse prohibitum 40 eo tempore consummare Matrimonium. Ita Navar. Man. c. 22. n. 71. Ant. Cuceh. l. 5. Inst. major. tit. 12. n. 10. Bellarm. l. 1. de Matr. c. 31. fin. §. in altero, Vega tom. 2. Summ. c. 34. cas. 179. Petr. de Ledesma, de Matr. q. 58. art. un. col. pen. Sanch. l. 7. de Matr. D. 7. n. 23. Ratio est, quia nusquam id reperitur prohibitum; & si prohibitum esset consummare primò, eadem ratione prohiberetur consummatio per sequentes copulas.

Neque obstant Argumenta contraria. 41 Ad 1. Traductio solennis die feriato prohibetur, non ad vitandam copulam; aliàs enim prohiberetur etiam traductio non solennis: sed propter vana lætitiæ signa, illam comitari solita, quæ temporis illius sanctitatem dedecent. Ad 2. ea separationis pœna non imponitur eò, quòd tempore feriato consummatum sit Matrimonium; sed quia contractum est, intervenientibus Benedictione, & traductione Sponsæ solenni. Ad 3. Ex veriore Sententia, teste Sanch. n. 23. cit. solum tempore feriato consilium est abstinere à copula conjugali.

## §. III.

## De Criminibus Conjugium Impedientibus.

## S U M M A R I U M.

42. Quaedam crimina dirimunt Matrimonium, alia impediunt.
43. Inter posteriora est susceptio propriae prolis ex Sacro Fonte.
44. Presbytericidium.
45. Solemnis, seu publica Penitentia.
46. Matrimonium initum cum Moniali.
47. Interfectio proprii filij.
48. Uxoridium, seu caedes uxoris.
49. 50. Etiam in adulterio deprehensa,
51. 52. 53. Quod extenditur probabilius etiam ad uxorem, quae occidit maritum.
54. Raptus alienae Sponse.
55. An de futuro, vel de praesenti tantum?
56. Incestus commissus cum consanguinea uxoris, vel Sponse.
57. Quae tamen impedimenta per consuetudinem defacto videntur sublata.
58. In dubio consultus est petere Dispensationem ab Episcopo.
- 42 Duplicis generis crimina sunt, quae conjugijs impedimentum praestant; nam aliqua dirimunt Matrimonium, uti est Raptus, Claustrinitatis, Machinatio in mortem conjugis, adulterium cum contractu, vel promissione Matrimonij: de quorum primo agitur *Libr. 5. Tit. 17.* de secundo dictum est *supra Tit. 3.* de tertio, & quarto *Tit. 7.* Alia verò solum impediunt Matrimonium, ne licite possit contrahi. Talia autem crimina sunt praecipue octo: & quidem
- 43 I. *Susceptio propriae prolis ex Sacro Fonte*, quando hoc fit extra necessitatem, de industria, malitiose, & animo privandi alterum conjugem debito conjugali: nam iste, si Matrimonium dissolutum per mortem fuerit, aliud Matrimonium licite amplius inire nequit, ut habetur *can. de eo 5. caus. 30. q. 1.* Et idem est, si simili animo pater filium tenuit in Confirmatione, vel eodem animo baptizavit. *Sanch. l. 7. de Matr. D. 6. n. 8. Palao tr. 28. D. 4. p. 2. §. 2. n. 19. Vallens, hic Append. n. 2. §. 9. Pirhing n. 11. Schambog. n. 6. §. convictus. König n. 10. Wiestner n. 49. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 133.* Oportet autem, ut hic filius aut sit communis utriusque conjugis, aut alterius ab eo, qui levat, vel baptizat; nam si filius sit solius baptizantis, vel levantis, nullum inde confurgeret Impedimentum, quippe cum eo casu inter conjuges nulla exurgat Cognatio Spiritualis, & cons. baptizans, & levans non possit habere animum malitiose privandi alterum conjugem conjugali debito. *Sanch. l. cit.*
- 44 II. *Presbytericidium*, sive interfectio injusta Sacerdotis *c. qui Presbyterum 2. de poenit. §. remiss.* Ratio est, quia cum Sacerdos interesse debeat Sacramento Matrimonij, aequum est, ut interfectio Sacerdotis hoc Sacramento in poenam careat. Ad hanc tamen poenam incurrendam necesse est, ut interfectio Sacerdotis de hoc crimine in foro contentioso sit convictus; non enim
- sufficit, quod reipsa quidem sit commissum, sed occultum, aut solummodo notum in Poenitentiae Tribunali interno, ut bene advertunt Host, in *c. qui Presbyterum cit. V. convictus*, Anton. de Butr. *ibid. n. 6. Abb. n. 1. Toler. l. 7. Summ. c. 15. n. 6. Emm. Sà V. Matrimonium de Imped. non dirim. n. 9. Sanch. l. cit. n. 9. Palao n. 20. Vall. §. 10. Pirhing n. 11. Schamb. §. mors Presbyteralis, König n. 11. Wiestner n. 49. Magnif. P. Schmier n. 128.* & colligitur ex ipso textu *c. cit.* nam ibi à conjugio arcetur, qui de ejusmodi caede est convictus: quod accidit in foro contentioso externo, non interno conscientiae; in hoc enim crimina solius poenitentis confessione innotescunt Judici Sacro, cons. ille in eo convictus dici non potest.
- III. *Solemnis, & publica Penitentia*, quamdiu haec agitur; nam haec, licet in se delictum non sit, attamen, cum propter delictum praecedens infligatur, tamdiu poenitentem impedit à Matrimonio contrahendo, quamdiu peragitur *can. siquis 16. & can. fin. caus. 33. q. 2.* Ratio est, quia cum nuptiae secum ferant laetitiam, non conveniunt illi, qui poenitentiae, & luctui est adstrictus. Dixi autem, *quamdiu haec agitur*; nam peracta poenitentia, Matrimonium permixtum est. *Emm. Sà n. 10. Sanchez n. 10. Palao n. 21. Pirhing n. 11. Wiestner n. 50. Magnif. P. Schmier n. 135.* Imò cum Poenitentia haec jam non sit in usu, cum ea etiam sublatum est hoc Impedimentum. *Armill. V. Matrimonium, Imped. 10. n. 59. Barth. à Ledesm. de Matr. dub. 59. §. bis additur. Sanch. l. cit.*
- IV. *Matrimonium cum Moniali*, seu 46 Virgine DEO solenniter consecrata, scienter, & sacrilegè initum *can. hi ergo 13. caus. 27. q. 1.* quantumvis enim propter solenne Votum Continentiae Matrimonium ita contractum irritum, nullumque sit, vir tamen, qui sacratam DEO faminam ad injuriam Christi, quem ipsa Sponsam suam elegit, sibi copulare praesumpserit, in tantae temeritatis

tatis poenam Matrimonium cum alia inire perpetuò prohibetur. Gloss. in can. cit. V. nunquam, Sanch. n. 11. Palao n. 22. Pirh. l. cit. Wiestner n. 48. Magnif. P. Schmier n. 134. Ratio est, quia delinquens in Matrimonium Sponsæ Christi, indignus est Matrimonio. Ut tamen Impedimentum hoc contrahatur, non sufficit simplex solum contractus Matrimonij, sed requiritur contractus cum copula sacrilega subsecuta, ut innuitur can. cit. & notat ibidem Gloss. & König hic n. 13.

V. Interfectio proprii filij: quod colligitur ex c. veniens 1. de his, qui filios occiderunt, ubi mulieri prolis suæ interfetrici conjugij ineundi licentia tribuenda dicitur, si repugnante carnis fragilitate, incontinentiæ timor subsit. igitur argumento à contrario, tali timore, & periculo cessante, conjugium est denegandum. Sanch. n. 12. Barbosa. in c. cit. n. 6. Zoel. hic n. 10. Wiestner n. 51. Magnif. P. Schmier n. 150.

VI. Uxoridicium, si hoc fiat injustè, & privata autoritate; hoc enim casu interfectio uxoris suæ impeditur non tantum à Matrimonio contrahendo cum illa, quæ in eadem illam consensit (nam respectu istius contraxit Impedimentum dirimens Matrimonium, ut dictum est supra Tit. 7. à n. 43.) sed etiam cum quacunq; alia, ut patet ex can. interfectores 5. can. quicumque 7. & can. admonere 8. caus. 33. q. 2. Dixi, si hoc fiat injustè &c. nam si maritus uxorem propriam, de crimine convictam, & ad mortem condemnatam interficiat autoritate publica, Impedimentum istud non incurrit, ut notat Sanch. l. 7. de Matr. D. 16. n. 4. Gutier. c. 28. de Matr. n. 3. Palao §. 2. cit. n. 7. Vall. append. n. 2. §. 8. & colligitur ex can. quicumque cit. ibi, Qui uxorem absque lege, & sine probatione interfecerit. igitur si secundum Leges, & ex publica probatione facta sit uxoris interfectio, Impedimentum istud non contrahetur.

Dub. 1. An si quis occidat uxorem propriam, in adulterio deprehensam, Impedimentum istud incurrat? Ratio dubitandi est, quia cædes adulteræ hoc casu permiffa erat marito, non tantum Lege prisca, prolata à Romulo, sed etiam posterioribus Legibus, ut clarè satis innuit Nicolaus I. can. inter hæc 6. caus. 33. q. 2. ubi proposita est Pontifici huic quæstio, an secundum mundanam Legem marito liceat uxorem, in adulterio deprehensam, occidere & Pontifex non negavit hoc permitti à Legibus, sed addidit, Ecclesiam DEI mundanis nunquam constringi Legibus Idem Longobardorum, & aliarum etiam Gentium Legibus, ac moribus receptum fuisse perhibet Tholos. synt. l. 36. c. 6. à n. 21. Accedit, quia ut constat ex l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad Leg. Jul. de adult. etiam adulteri, in flagitio deprehensi, interfectio mitius puniuntur. R. P. Schmalzeruber L. IV.

dus est, ob justum, ut ibi dicitur, dolorem, quem difficillimum sit temperare.

Sed dicendum, etiam maritum, si propria autoritate occidat uxorem in adulterio deprehensam, incurrere Impedimentum istud, ut cum nulla alia contrahere licitè dein Matrimonium possit. Ita S. Thom. in 4. dist. 37. q. 2. art. 2. Corp. D. Bonavent. ibid. art. 2. q. 3. Palud. art. 2. n. 9. Sot. q. un. art. 4. concl. 2. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 7. n. 15. Molin. tr. 3. de J. & J. D. 7. n. 2. & D. 99. n. 14. Henriq. l. 12. de matr. c. 2. n. 1. fin. & c. 14. n. 2. pr. Sanch. l. 7. de matr. D. 16. n. 2. Gutier. c. 38. de matr. n. 2. Palao tr. 28. D. 4. p. 2. §. 2. n. 7. Petr. Barbof. in l. si ab hostibus 10. §. fin. ff. solut. matr. n. 43. Aug. Barbof. in can. inter hæc cit. n. 1. Zoel. hic n. 6. König n. 9. Wiestner n. 44. & patet ex can. interfectores, can. inter hæc cit. & can. siquid verius 9. q. cit. ubi Leges Civiles, siquæ sunt, quibus impunita relinquuntur cædes adulteræ à marito facta, corriguntur: Nec immeritò; quia nimiam præbebant licentiam, & contra ordinem Juris est, reum non auditum, & non examinatâ causâ, occidere. Accedit, quia etiam repugnat graviter Charitati, cum interficiendus sit in statu tali, in quo de salute aeterna maximè periclitatur. Hinc ita occidens ex communi sententia graviter peccat; conf. de se meretur poenam hoc Impedimentum sancitam.

Dub. 2. An Impedimentum istud incurrat etiam uxor occidens virum? Negant Sylv. V. Matrimonium 7. q. 6. dist. 1. Armill. V. Matrimonium n. 58. Tolet. l. 7. Summ. c. 15. n. 3. Sanch. l. 7. de matr. D. 16. n. 6. Zoel. hic n. 7. Pirh. n. 11. Schamb. n. 6. §. Sponsata, & favet S. Thom. in 4. dist. 37. q. 2. art. 27. D. Bonav. ibid. art. 2. q. 2. Corp. Turrecr. in can. interfectores cit. art. 2. n. 5. Fundantur 1. quia allegati textus Juris omnes loquuntur de sola cæde uxoris; de cæde autem mariti ab uxore patrata nihil est Jure expressum. 2. Quia etiam non est eadem ratio cædis mariti, quæ uxoris; nam cum viri ex natura sua sint magis audaces, timidiores foeminae, non est tantum periculum, ne uxor machinetur cædem marito suo, quantum est, ne eandem machinetur maritus uxori; atqui ratio constituendi Impedimentum istud fuit, ut consuleretur vitæ conjugum; ergo cum minùs frequenter contingat, ut uxor occidat virum, frequentius, ut vir uxorem, constitutum de viro ad uxorem extendi non debet. 3. Etsi vir rapiens foeminam incurrat Impedimentum raptus dirimens, non tamen illud incurrit foemina rapiens virum, ut Libr. 5. tit. 17. dicitur.

Sed probabilius etiam foemina occidens virum Impedimentum istud incurrit. Ita Palud. in 4. dist. 37. q. 2. art. 2. n. 10. Sot. ibid. q. un. art. 1. §. simplex, Navar. Man. c. 22.

Z z

n. 74

n. 74. Henric. l. 12. de matr. c. 2. n. 1. fin. Gu-  
tier. c. 88. de matr. n. 4. Rebell. de oblig.  
Just. p. 2. l. 3. q. 18. §. de Uxoricidio, Pont.  
l. 6. de matr. c. 14. n. 2. Palao tr. 28. D. 4.  
p. 2. §. 27. n. 18. Canil. in c. si qua 1. de divort.  
n. 2. Gonzal. ibid. n. 3. §. 4. Vallens. hic  
Append. n. 2. §. 3. König n. 9. Wiestner n. 46.  
Magnif. P. Schmier p. 3. de matr. c. 1. n. 125.  
Colligitur ex can. indignentur 4. caus. 32. q.  
6. & clarè exprimitur c. si qua est, ubi mulier  
propter infidias, quas vitæ mariti struxit,  
spe conjugij perpetuò privatur, quantumvis  
machinatio effectum non sit consecuta; igitur  
multo magis spe ejusdem excidet, cum  
homicidium consequitur opere.

53 Ex quo sequitur ad Fundamentum 1.  
adversæ Sententiæ; negatur enim, quòd  
Impedimentum hoc nullo Jure statuatur Vi-  
ricidio. Deinde esto, quòd nullus esset tex-  
tus Viricidio Impedimentum hoc statuens,  
textus supra cit. etiam si expressè solum lo-  
quantur de viris occidentibus uxores, ad-  
huc tamen extendendi essent ad foeminas,  
occidentes maritos suos; quia in correlati-  
vis dispositio de uno comprehendit alter-  
rum, quando eadem est ratio utriusque. Ad  
2. ratio, ob quam maritus, qui uxorem  
suam occidit, removetur à conjugio, can.  
admonere cit. datur ista: Quia occidisti partem  
corporis tui, legitimo Matrimonio sociatam,  
filios orphanos fecisti; atqui hæc ratio pro-  
cedit in foemina æquè, ac in viro; ergo etiam  
foemina occidenti maritum meritò tollitur  
spes conjugij. Ad 3. Impedimentum rap-  
tus ad foeminam non extenditur, quia rarissi-  
mè contingit, ut foemina rapiat virum: at  
Viricidium, licèt minus frequenter, sæpe  
tamen patrat ab uxoribus; unde neces-  
sarium fuit sceleri huic per constitutionem pœ-  
næ occurrere.

54 VII. Raptus aliene Sponse: hic enim  
Matrimonium inter raptorem, & raptam,  
quandiu hæc in potestate raptoris est, di-  
rimit, ut dicemus Libr. 5. Tit. 17. ipsius au-  
tem Matrimonium cum quacunque alia impe-  
dit can. statutum 34. caus. 27. q. 2. Rationem  
dat Sotus in 4. dist. 37. q. un. art. 1. quia qui  
alienum conjugium perturbare ausus est,  
proprij contrahendi jure meritò privatur, ut  
in eo, in quo deliquit, puniatur. Sanch. l. 7.  
de matr. D. 12. n. 43. Idem impedimen-  
tum contrahit etiam Sponsa rapta, si rapto-  
ri consentiat, ut rectè advertunt Sanch. l.  
cit. n. 44. Conink D. 30. n. 25. Palao tr. 28.  
D. 4. p. 2. §. 2. n. 9. Wiestner hic n. 40. &  
clarè colligitur ex verbis can. statutum cit.  
per argumentum à sensu contrario; dicitur  
enim ibi, Sponsæ raptæ, si ipsa eidem cri-  
mini consentiens non fuerit, licentiam non nubendi  
alij non negari; igitur si consenserit, nega-  
bitur. Ratio est, quia tali casu tam Ma-  
trimonio, quam viro, cui desponsata est,  
ab ipsa inferitur non minor injuria, quam  
inferatur à raptore.

Dubitatur, an Decretum hoc can. sta-  
tutum cit. intelligendum sit tantum de Spon-  
sa de præsentī, an etiam de Sponsa de futu-  
ro? Duplex est Sententia, probabilis utra-  
que. Prima vult intelligendum etiam de  
Sponsa de futuro. Ita Gloss. in can. cit. v.  
rapuerit, Archidia. ibid. pr. Bellamer. n. un.  
Turrecr. n. un. quos sequitur König hic n.  
8. & Magnif. P. Schmier p. 3. de matr. c.  
1. n. 132. Rationem dant, quia textus  
loquitur generaliter, & sine ulla inter per-  
sonas desponsatas distinctione, ut adeo locus  
sit arg. can. consulisti 18. v. §. quod caus. 2.  
q. 5. & l. de pretio 8. ff. de Publician. in rem.  
act. Secunda Sententia cum Palud. in 4. dist.  
34. q. 1. art. 2. n. 13. in quam etiam incli-  
nare videtur Sanch. l. cit. n. 45. existimat,  
Decretum hoc intelligendum tantum, si  
Sponsa rapta fuerit Sponsa de præsentī, sive  
uxor aliena, ea permoti ratione; quia in  
materia poenali, & odiosa Sponsæ nomine  
venit non generaliter quæcunque, sed illa  
dantaxat, cum qua Sponsalia contracta sunt  
per verba de præsentī.

VIII. Incestus commissus cum consan-  
guinea suæ uxoris, vel cum consanguineo  
sui mariti c. si quis 1. & c. transmissæ de eo,  
qui cognovit &c. Item fornicatio Sponsi de  
futuro cum consanguineo Sponsi sui: de quo  
Impedimento, qualiter inducatur, vide Tit.  
13. de eo, qui cognovit &c. ubi de illo agi-  
tur ex instituto.

Dubitatur, an Impedimenta hæc, quæ  
à Jure annexa sunt criminibus relatis, ad-  
huc hodie obstant Matrimonij contrahen-  
dis? Variè DD. sentiunt, & horum aliqui  
etiam videntur dubitare, an Impedimenta  
ista per consuetudinem tolli possint, sed  
dicendum, tolli illa per consuetudinem con-  
trariam posse, imò defacto esse sublata. Ita  
Turrecr. in can. nullus 31. q. 1. n. 3. Gaëta in  
can. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 408. Henric. l.  
12. de matr. c. 2. n. 1. Lit. R. Less. l. 4. de l. §.  
l. c. 3. n. 68. Sanch. l. 7. de matr. D. 17. n. 8.  
Pont. l. 6. c. 14. n. 4. Conink D. 30. n. 25.  
fin. Palao tr. 28. D. 4. p. 2. §. 2. n. 23. Ill-  
fung tr. 6. D. 9. n. 58. fin. Pirhing hic n. 12.  
König n. 13. §. caterum, Schambog. n. 8.  
Wiestner n. 52. Magnif. P. Schmier p. 3. de  
matr. c. 1. n. 136. & alij tum VV. tum RR.  
communiter, testaturque Navarrus, vic  
in resolutionibus quæstionum conscientia,  
quæ ab ipso ex universo propemodum Or-  
be petebantur, celeberrimus, se in tanta  
ætate, quam vixit (vixit autem integro  
sæculo, & plerosque illius annos in littera-  
rijs laboribus absumpsit) se nunquam vi-  
disse, vel audivisse, super hujusmodi Impe-  
dimentis dispensationem peti.

Quòd verò Impedimenta ista per  
contrariam consuetudinem abrogari possint,  
extra controversiam est; nam omnia hæc  
impedimenta sunt Juris positivi Ecclesiasti-  
ci; atqui consuetudine abrogari Leges Ec-  
cles.

eclesiasticæ quæcunque possunt, ut patet ex c. fin. de consuet. ergo &c. Quia tamen fortassis consuetudo hæc non omnino generalis est, & dubium aliquando moveri potest, an revera illa in aliquo certo loco

inducta sit, hinc P. König hic v. ceterum cit. monet, tutius fore, si emergente tali casu, saltem dispensatio petatur ab Episcopo, qui eam utique dare poterit.

§. IV.

De Potestate dispensandi in Impedimentis Conjugiorum.

S U M M A R I U M.

- 59. 60. 61. Quis dispensare in Impedimentis impediens possit?
- 62. 63. An etiam Episcopus, vel Prælatus alius Pæpâ inferior?
- 64. 65. 66. An in quibusvis impedimentis dirimentibus dispensare Pontifex possit?
- 67. 68. 69. An dispenset in omnibus æqualiter, in quibus dispensare potest?
- 70. 71. An dispensatio in Impedimentis Dirimentibus spectet ad solum Pontificem?
- 72. Quid circa hoc possit Commissarius Bullæ cruciatæ?
- 73. Episcopi?
- 74. Legati Sedis Apostolicæ?
- 75. 76. 77. An Episcopus dispensare in illis possit, quando dubium est, utrum opus sit dispensatione?
- 78. 79. 80. An dispensare is possit in casu aliquo extraordinario?
- 81. Quid requiratur, ut eo casu dispensare possit?
- 82. Pro quo foro dispensare tunc possit?
- 83. An in casu simili possit dispensare Episcopus etiam ante Matrimonium contractum?
- 84. 85. 86. Requisita ad ita dispensandum.
- 87. 88. 89. Quam potestatem circa hoc habeat Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius Generalis?
- 90. 91. 92. Aut Vicarius Generalis Episcopi?
- 93. Vel illi, qui privilegium habent dispensandi in casibus Episcopalibus?
- 94. 95. 96. 97. An potestatem dispensandi Episcopus delegare alteri possit?
- 98. Quomodo delegare illam possit?
- 99. Quibus verbis censeatur delegata?
- 100. 101. Quid circa dispensationem in Impedimentis conjugalibus possint Religiosi Mendicantes?

59. **Q**ueritur I. Quis dispensare possit in Impedimentis impediens Matrimonium? Certum est inter DD. quod in his Impedimentis omnibus dispensare Pontifex possit: quod ostenditur etiam ratione; nam aliqua illorum, eaque pleraque sunt introducta tantum Jure Ecclesiastico, sicut sunt omnia, quæ hoc Titulo sunt recensita: alia impediunt Matrimonium Jure naturali, & Divino, ut Sponsalia, & Votum.

In primo genere Impedimentorum Pontificem dispensare posse, indubitatum est, quia est superior omni Jure Ecclesiastico, prout patet ex c. proposuit. 4. de concess. Præb. ubi de sua potestate loquens ait: Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare. 2. Quia ipse est Legum, quibus Impedimenta hæc introducta sunt, Author; potest autem Legislator supremus in quavis Lege sua dispensare, cum ejusdem sit solvere, cujus ligare. 3. Quia hæc Impedimenta abrogari possunt consuetudine; atqui consuetudo non habet majores vires, quam ipsa potestas Pontificia; imò hæc ipsi vim, & efficaciam tribuit; ergo &c.

60. **S**ecundi generis Impedimenta, quæ Jure naturali, & Divino Matrimonium impediunt, ut supra innui, duo sunt, Sponsalia, & Votum simplex Castitatis, vel Religionis. Et quidem, quod dispensare in Sponsalium Impedimento Pontifex queat, ex

communi docent Sanch. l. 1. de Matr. D. 61. n. 2. Bosco de Matr. D. 2. sect. 13. n. 229. Reuffenstuel in Append. ad Lib. 4. n. 2. & patet ex eo, quia ex probabilissima sententia, ut infra Tit. 19. dicam, dispensare etiam potest in Matrimonio rato: quamvis, ut rectè l. cit. advertit Bosco, Sponsalia potius solvi, quam dispensari dicantur. Quod verò etiam dispensare possit in Voti Impedimento, ex eo liquet; quia dispensare potest etiam in alijs Votis, & contractum per ea debitum erga DEUM, DEI nomine, & ab ipso accepta potestate remittere, ut cum S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 10. Suar. l. 6. de Vot. c. 9. n. 15. Conink D. 33. n. 31. est cæterorum TT. & fidelium communis sensus, & usus.

Porro inter hæc secundi, & inter prioris generis Impedimenta hoc discrimen interjacet, quod in primi generis Impedimentis, quæ Jure solum Ecclesiastico inducta sunt, sine causa justa dispensare validè possit, quamvis illicitè; in secundi generis Impedimentis ut validè, & licitè dispenset, necessariò moveri debeat ex justa causa. Nascitur discrimen istud ex natura Jurium, quo Impedimenta hæc sunt introducta; nam Jure Ecclesiastico superior est Pontifex, naturali verò, & Divino etiam ipse subjicitur, ut adeo quoad ista plus ille non possit, quam ipsi DEUS concesserit; concessit au-

Z z z

tem

B. P. Schmalzgrueber h. V.

tem potestatem administratoriam tantum, in quantum hoc bonum Ecclesie, & fidelium salus exigit.

62 *Dubatur*, an in Impedimentis impediens dispensare possit etiam Episcopus, vel alius Prælatus Papæ inferior, Jurisdictionem quasi Episcopalem obtinens? *Ratio dubitandi est*, quia inferior dispensare in Legge Superioris non potest, nisi hoc ipsi ab illo concessum sit; atqui non legitur usquam concessa Episcopo potestas dispensandi in Impedimentis Impediens Matrimonium, excepto illo, quod oritur ex incestu, commisso cum consanguineis Sponsæ nondum cognitæ *c. veniens 2. de eo, qui cognovit Ec.* ergo &c.

Sed resumenda est distinctio supra data inter Impedimenta Impediens, solo Jure Communi Ecclesiastico introducta, & inter ea, quæ Matrimonium impediunt Jure Divino, & naturali. *Quoad priora* dispensare potest Episcopus, & alius Prælatus Papæ inferior, excepto Impedimento interdicti à superiore se positi; quia esto, potestas hæc de Jure ipsis non competat, tamen illis eandem concessit, & *c. veniens cit.* concessam ad reliqua etiam impedimenta impediens extendit consuetudo, omnium ferè Ecclesiarum usu approbata, uti testantur Sylv. *V. Matrimonium 7. q. 6. dist. 2. Sot. in 4. dist. 37. q. un. art. 1. Navar. Man. c. 22. n. 85. Henriq. l. 12. de matr. c. 2. n. 2. Sanch. l. 7. de matr. D. 17. n. 15. Pont. l. 8. c. 13. n. 12. Perez D. 44. sect. 4. n. 9. Vall. hic in Append. n. 2. §. denique, Pithing n. 12. König n. 18. Wiestner n. 55. Reiffenstuel Append. n. 10. Ad rationem dubitandi patet ex dictis.*

63 *Quoad posteriora*, seu Divino, vel naturali Jure inducta, conveniunt DD. non posse Episcopum, vel Prælatum Papæ inferiorem dispensare in Impedimento Sponsalium, cum Jure alteri quæsito nemo ipsum spoliare possit, nisi Princeps, & quidem ex causa. Idem dicendum de Voto ingrediendi Religionem, & Castitatis perpetuæ, si hoc absolutum sit; quia hæc Vota sunt specialiter reservata Papæ, nec quid juris in illa habet Episcopus, teste etiam experientia quæ constat, quod pro Dispensatione horum Votorum ubique scribatur Romam. In Impedimento Voti non reservati, quale est Castitatis ad tempus, & probabiliter etiam perpetuum conditionale, vel poenale, item non nubendi, suscipiendi SS. Ordines, &c. communis, & certa sententia iterum concedit potestatem dispensandi Episcopo, & alijs Prælatis inferioribus Papæ. Imò etiam in Reservatis ex causa necessitatis, & in ijs casibus, in quibus reservata illa non sunt, ex communi sententia dispensare iidem possunt.

64 *Quæritur 3.* An in quibusvis Impedimentis Dirimentibus Matrimonium dispensare Pontifex possit? *¶. distinguendo;*

nam etiam Impedimenta dirimentia sunt duplicis generis, alia quidem introducta per Jus naturale, vel Divinum, uti sunt Ligamen, Consanguinitas in primo gradu linearæ rectæ, ætas carens usu rationis, Impotentia perpetua, Error circa substantiam, sive individuum personæ. Alia Jure solum Ecclesiastico adinventata sunt, ut ætas usu quidem rationis prædita, sed infra pubertatem, conditio servilis, Cultus disparitas, Cognatio Spiritualis, Legalis, & Naturalis in linea transversa, & in gradu secundo, & ulterioribus Linearæ rectæ, Ordo Sacer, Professio Religiosa, Crimina adulterij, & homicidij, Vis, seu Metus, Raptus, & Claustrinitas.

*In prioris generis* Impedimentis, seu quæ Jure naturali, vel Divino dirimunt Matrimonium, certum est, quod nec Pontifex dispensare possit excepto vinculo Matrimonij rati, ut rectè notat Host, in *c. 13. de restit. spoliat. n. 3. Abb. ibid. n. 4. §. 12. Imol. n. 6. Sylv. V. Papa q. 17. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 10. n. 10. Navar. man. c. 22. n. 8. Sanch. l. 8. de matr. D. 6. n. 10. Gutier. de matr. c. 122. n. 1. Coninck D. 33. n. 30. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 1. n. 1. Gonzal. in *c. 6. de consang. n. 2. Bosco de matr. D. 12. sect. 3. concl. 1. Honor. ibid. n. 6. Engl. hic n. 3. Wiestner n. 57. Reiffenstuel Append. n. 6. Magnif. P. Schmier p. 3. matr. c. 1. n. 33. Ratio est, quia inferior potestas tollere, & relaxare legem Superioris non potest, nisi accepta ab eo potestate *can. inferior 4. dist. 21. c. cum inferior 16. de majorit. §. obed. §. Clem. ne Romani 2. de Elect.* atqui neque ex Sanctionibus Canonice, neque ex traditione, & usu Ecclesie constat, quod unquam Pontifici à DEO concessa sit facultas dispensandi in Impedimentis Juris naturalis, & Divini, excepto vinculo Matrimonij rati; ergo &c.**

*In posterioris generis* Impedimentis, seu in ijs, quæ Jure solum Ecclesiastico dirimunt Matrimonium, dispensare indubitate Pontifex potest, ut unanimis DD. sententia habet. *Proceditque hoc 1.* quaecumque illud Impedimentum sit; quia cum ligandi, & solvendi potestas conjuncta sit, idem, qui tulit legem, etiam tollere illam potest, & multò magis dispensare in illa *arg. c. non debet 8. de Consang. §. affinit. c. alma 24. pr. de sent. Excomm. in 6. Coninck n. 31. Palao n. 1. Gonzal. n. 2. Honor. n. 16. Engl. n. 3. Magnif. P. Schmier n. 35. cum alijs supra. Procedit 2.* ut dispensare in Impedimentis hujusmodi possit non tantum Pontifex, qui tale Impedimentum statuit, sed omnes ejusdem Successores legitimi; quia in quovis Successore par est auctoritas.

Sed utut in omnibus hujus posterioris generis Impedimentis dispensare Pontifex possit, non tamen in omnibus æquali facilitate

tate dispensat; nam super Impedimento Affinitatis facilius dispensatur, quam super Impedimento Consanguinitatis in simili gradu: item facilius in gradu remotiore Lineæ transversæ, quam in propinquiore ejusdem lineæ: similiter in Maternitate, & Paternitate Spirituali difficillimè dispensatur; secus est in Compaternitate. Ratio est, quia major conjunctio majorem exigit causam, Sanch. l. 2. de matr. D. 19. n. 7. Conink D. 33. n. 44. not. 4. Palao p. ult. cit. § 2. n. 1. Vivian. in c. 5. de Consang. pr. in fin. Schambog. tit. eod. n. 43.

68 In Gradu primo Lineæ transversæ, & in secundo, ac ulterioribus Lineæ rectæ Pontifex, etsi possit probabiliter, dispensare tamen non solet; quia cum arctissima sit conjunctio, dispensatio gravissimam causam exigit, quæ cum moraliter nunquam futura sit, nunquam spes est obtinendi ejusmodi dispensationem. In gradu secundo Lineæ transversæ Tridentinum sess. 24. c. 5. de reform. matr. in fin. decrevit, ut nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam necessitatem. Neque id est acceptio personarum, cum adfit specialis ratio hujus prærogativæ concedendæ, scilicet bonum pacis, & Sedis Apostolicæ indigentia, vel saltem gravis utilitas, quæ provenit ex eo, quod has personas specialiter devinctas habeat. Palao §. 2. cit. n. 1. Porro principum magnorum nomine, ut Sanch. D. 19. cit. n. 2. Gutier. c. 122. de Matr. n. 14. Conink D. 33. n. 44. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 8. Pirh. tit. de consang. & affinit. n. 49. Schambog. ibid. n. 42. notant, veniunt etiam Magnates, sive magni Domini Titulares, vel magni Nobiles, qui degunt in aliquo Potentatu, seu Baronia.

69 Dicitur Tridentini Decretum ostendit quidem, quid ordinariè faciendum sit, Pontificem tamen non ligat, quin ob causam urgentem in eodem secundo gradu lineæ transversæ dispensare etiam possit cum personis inferioris conditionis, ut rectè Sanch. n. 4. Gutier. Pirhing, Schambogen l. cit. notant. Causæ ejusmodi forent teste eodem Sanchez, si contractum sit Matrimonium inter aliquos, ignorantem tam rigidam prohibitionem, si proles ex eo jam sit suscepta, si ea separatione oriretur scandalum, si puella, quam Patruelis vult ducere, & honestè dotare, sit pauper &c. Concordant Navar. l. 4. tit. de Consang. edit. 1. conf. 6. & edit. 2. conf. 13. Petr. de Ledesin. Summ. Sacram. de Matrim. c. 27. immediate ante concl. 5. Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 237. n. 3. Henric. l. 12. de Matr. c. 3. n. 9. fin. Vega tom. 2. Summ. c. 34. cas. 167.

70 Queritur 3. An solius Pontificis sit dispensare in Impedimentis, solo Jure Pontificio dirimentibus Matrimonium? In Spectato Jure communi, hoc spectare ad

solum Summum Pontificem. Ita Sanch. l. 2. de Matrim. D. 6. n. 14. Gutier. de Matr. c. 122. n. 2. Conink D. 33. n. 32. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 1. n. 2. § 3. Barbof. in c. 3. de Consang. & Affinit. n. 4. Wagnereck in c. 6. eod. V. pro dispensatione not. 1. Zoes. tit. eod. n. 38. Engl. hic §. 3. n. 11. Wiestner ibid. n. 58. & teste Gutier. l. cit. declaratum est à S. Congr. Ratio clara est, quia Impedimenta ista inducta, & stabilita sunt autoritate Pontificia; inferior autem in Lege Superioris, ut n. 65, dictum est, dispensare non potest, nisi hoc ipsi ab isto concessum sit.

Proceditque hoc non tantum de Episcopo, & alijs inferioribus Prælati, sed etiam de Legato à Latere; nam nec iste, Jure communi spectato, dispensare in Impedimentis Dirimentibus potest: & ratio est, quia iste in Provincia Legationis suæ Jure communi ampliorem potestatem dispensandi ad Matrimonium non habet, quam quilibet Episcopus in sua Diocesi, ut notat Gloss. in c. quia circa 6. V. à Sede de Consang. Sanch. l. 2. de Matr. D. 6. n. 15. Gutier. c. 122. n. 3. Et hoc verum est etiam casu, quo à Sede Apostolica impetrata fuit Dispensatio, sed propter obvel subreptionem nulliter. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 10. n. 15. Gutier. de Matr. c. 48. n. 1. Gonzal. in c. quia circa cit. n. 2. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 37.

Dixi autem, Spectato Jure communi; nam Jure speciali plerique Legati, & aliquando etiam Episcopi facultatem habent dispensandi in certis Impedimentis, & certis casibus. Sic enim 1. Commissarius Bullæ Cruciatæ ex delegatione Pontificis facultatem habet pro foro conscientie dispensandi in Impedimento Affinitatis, ortæ ex copula fornicaria, in primo, & secundo gradu etiam Lineæ rectæ, & prolem susceptam, vel suscipiendam legitimam declarandi, si quinque istæ conditiones concurrant. 1. Ut Matrimonium cum illo Impedimento jam sit contractum; nam ad contrahendum dispensare non potest. 2. Ut contractum illud sit, servatâ formâ Tridentini, nempe coram Parocho, & testibus, prævisque Denuntiationibus. 3. Ut in ejus contractu adfuerit bona fides, saltem ex parte unius, ignorantis Impedimentum. 4. Ut ipsum Impedimentum sit occultum. 5. Ut conjux, qui ignoravit Impedimentum, certior fiat de prioris consensû nullitate, quamvis ei non declaretur causa nullitatis, ut evitentur scandala. Sanch. l. 2. de Matr. D. 6. n. 13. Gutier. c. 122. de Matr. n. 8. Conink D. 33. n. 36. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 1. n. 5.

2. Episcopi Germaniæ, & plures alij ab Urbe Romana remotiores, ex speciali privilegio Pontificio, de quadriennio in quadriennium renovando, communiter dispensare possunt 1. Ad contrahendum Matrimonium in tertio, & quarto gradu simplici, &

mixto tam consanguinitatis, quam affinitatis cum pauperibus tantum. 2. Ad perseverandum in contracto cum Hæreticis, ad Fidem conversis, etiam in secundo simplici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum. 3. In Impedimento publicæ Honestatis, proveniente ex Sponsalibus. 4. In Impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante. 5. In Impedimento Cognationis Spiritualis, præter levantem, & levatum in Baptismo. Potestas autem ista exerceri ab Episcopis ita privilegiatis non potest, nisi tanquam à Sedis Apostolicæ Delegatis, neque extenditur ad casum, quo raptæ est mulier, & in raptoris potestate adhuc existit. Reiffenstuel *hic n. 20. & duobus seqq.* ubi refert, has facultates concedi consuevisse Celsissimis Frisingensi, & Ratisbonensi. Simili ex privilegio Episcopus Leodiensis, ejusque in Spiritualibus Vicarius Generalis dispensant in tertio, & quarto Gradu Affinitatis, quando ob paupertatem Dispensatio Romæ obtineri nequit, eamque gravis necessitas exigit, teste Less, in *Auctar. V. Matrimonium cas. 9.* apud Gobat. *Experient. tr. 9. n. 596.*

74. 3. Simile, & nonnunquam amplius etiam privilegium dispensandi solet concedi Legatis Sedis Apostolicæ. In Hispania, teste Garcia de Benef. p. 11. c. 5. n. 387. Pont. l. 8. c. 13. n. 8. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 1. n. 6. dispensant in Impedimento publicæ Honestatis. Nuntii Apostolici Lucernensibus, ut ostendit Gobat *l. cit. n. 587.* consuevit concedi facultas dispensandi in eodem Impedimento publicæ Honestatis; item in Gradu Consanguinitatis, & Affinitatis tertio, & quarto inæquali, in Cognatione Spiritualis inter levantem, & levatum, in Impedimento criminis, neutro tamen machinante commisi. Quare, quid singuli istorum circa dispensationes hujusmodi possint, consulendæ, & inspiciendæ erunt eorum facultates, à Sede Apostolica ipsis concessæ.

75. Quæritur 4. An Episcopus dispensare possit in casu, quo dubium est, utrum opus sit Dispensatione? Affirmat indiscriminatim Emman. Saa in *summ. V. dispensatio n. 1.* ubi ait, in eo casu in arbitrio Episcopi esse vel declarare, quòd ibi Matrimonium in tuti dispensatione non egeant, vel ad cautelam dispensare.

Sed melius distinctionem adhibent Sanch. l. 8. de Matr. D. 6. n. 18. Gutier. de Matr. c. 122. n. 5. Perez D. 44. sect. 7. n. 2. Bosco de Matr. D. 12. sect. 13. n. 113. & seq. Wiestner *hic n. 62.* Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 40. Vel enim res omnino dubia est, an subsit aliquod Impedimentum, vel non est ita dubia.

76. Si primum, Episcopus ad excludendum omne scandalum, declarare poterit, quòd dispensatione non sit opus, vel etiam dispen-

fare ad cautelam; quæ tamen dispensatio non est vera dispensatio: cons. casu, quo post contractum ita Matrimonium, apparet Impedimentum dirimens, pro dispensatione ad Sedem Apostolicam adhuc recurrendum erit. Et quidem, quòd declarationem hanc facere Episcopus possit, patet ex eo, quia in dubio præsumptio est pro libertate Matrimonij contrahendi, donec constet, eam, Impedimento intercedente, ademptam esse. Quòd autem non sit vera dispensatio, quam Episcopus impertitur ad cautelam inde ostenditur; quia nullo Jure expressum reperitur, quòd Episcopus in ejusmodi dubio per viam dispensationis tollere possit Impedimentum revera intercedens: tantum autem potest Episcopus, quantum Jura eidem concedunt.

Si secundum contingat, & præsumptio 77 pro Impedimento urgeat, v. g. si in coitu cum femina dubitetur, an semen emissum, aut vase receptum, & cons. cum femina illius sorore contracta sit Affinitas, non proderit dispensatio Episcopi, sed impetrari hæc debet à Sede Apostolica. Ratio est, quia in dubio prævalet præsumptio delumpta ex ijs, quæ communiter contingunt. atqui communiter contingit, quòd in coitu cum femina semen effundatur, & vase recipiatur. igitur præsumptio ista prævalet, & cons. etiam præsumptio contractæ Affinitatis cum Sorore femina. Estque hoc ita verum, ut probato coitu, illi, qui semen effusum, aut vase receptum negat, in foro externo fides non adhibeatur, teste Perez *l. cit. n. 2. fin.*

Quæritur 5. An Episcopus dispensare 78 possit in casu extraordinario, quo post Matrimonium, bona fide contractum, deprehenditur subesse Impedimentum dirimens occultum, & neque conjuges sine scandalo separari, neque Papa ob locorum distantiam, vel personarum paupertatem adiri, neque dispensatio propter periculum incontinentiæ differri potest? Negant Sot. l. 1. de Just. q. 7. art. 3. & in 4. dist. 37. q. uu. art. 2. Cordub. l. 1. question. q. 11. §. Hæc igitur secunda, Veracruz p. 3. specul. art. 18. fin. Medin. l. 2. q. 97. art. 4. Rationem dant, quia, ut supra n. 65. dictum est, Episcopus, & his similes Prælati nequeunt dispensare in Lege Pontificia, vel Decreto Concilij Generalis, nisi id ipsis specialiter concessum sit. non autem legitur in hujusmodi casu concessa ipsis esse potestas dispensandi. igitur non poterunt in ullo Impedimento, quod Jure Ecclesiastico communi dirimit Matrimonium, quantæcunque necessitatis casus sit, dispensare.

Sed dicendum, multo verius Episcopus 79 pum, & his similes Prælatos, si circumstantiæ in quæstione positæ simul concurrant, dispensare, pro foro conscientiæ tamen solummodo, in Impedimento Matrimonij dirimente posse. Ita Sylv. V. dispensatio q. 9. n. 15



15. Navar. Man. c. 22. n. 85. Cucch. l. 2. Inst. major. tit. 6. n. 310. Henricq. l. 6. de Pœnit. c. 10. n. 1. & l. 12. de Matr. c. 3. n. 2. Garc. p. 11. de Benefic. c. 5. n. 343. Less. l. 2. de J. & J. c. 40. n. 127. Sanch. l. 2. de Matrim. D. 40. n. 3. Gutier. de Matr. c. 122. n. 7. Conink D. 33. n. 32. Pont. l. 8. c. 13. n. 2. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 1. n. 7. §. 8. Perez D. 44. sect. 6. n. 3. Bosco de Matr. D. 12. sect. 13. n. 118. §. seqq. Gonzal. in c. 6. de consang. & Affinit. n. 2. prop. fin. Wagnereck ibid. V. pro dispensatione not. 1. Zœf. tit. 14. n. 38. Honor. ibid. n. 17. Engl. hic §. 3. n. 11. Wiestner n. 65. Reiffenst. Append. n. 15. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 43. cum communi, & propemodum certa aliorum, arg. c. consilium 2. de Observat. jejun. & Reg. quod non est 2. de R. J. ibi, Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum.

Ratio est 1. Quia, ut cum communi doctrina Libr. 1. Tit. 1. n. 59. dixi, Episcopus quoad alias Leges Pontificias in casu extraordinario, quando urget necessitas dispensandi, & periculum est in mora, neque facile ad Pontificem recurri potest, ex præsumpta istius voluntate dispensare potest. 2. In hujusmodi casu dispensandi facultatem competere Episcopis maxime expedit animarum bono, & ad evitanda gravia peccata ferè necessarium est; ac proinde verisimile non est, quòd Pontifex illam voluerit Episcopis denegatam. 3. Praxis, & consuetudo, præsertim longæva, optima Legum, Canonumque interpres est, constat autem, quòd Episcopis passim DD. eam potestatem tribuant, & ipsi Episcopi illà utantur, sciente, & non contradicente Papâ, ergo &c.

Dixi autem, si circumstantie in questione positæ simul concurrant; nam ut Episcopus dispensare possit in Matrimonio jam contracto, requiruntur sequentia. 1. Ut publice, & præmissis Denuntiationibus, contractum sit, nisi dispensatum fuerit super istis; nam si culpabiliter omiffæ Denuntiationes sint, cum Impedimento contrahentes spe dispensationis super hoc obtinendæ privantur, prout dictum est Tit. 3. n. 82. 2. Ut contractum sit bona fide, i. e. absque scientia Impedimenti; quia, ut Sanch. D. 40. cit. n. 4. notat, Pontificis mens non est iniquitati favere, & perversæ contrahentium audaciæ, ne si talis contractus foret facilius dispensationis occasio, sub ea spe quotidie contraherentur Matrimonia, contemptis Impedimentis dirimentibus: quare tales etiam cum jactura famæ separandi essent; quia spontè se in ea incommoda conjecerunt. Conink D. 33. cit. n. 33. 3. Ut propter paupertatem, distantiam loci, & incontinentiæ periculum difficilis ad Pontificem, vel alium, qui ex privilegio dispensandi facultatem habet, accessus detur. 4. Ut Impedimentum tale sit, in quo soleat concedi dispensatio, ad-

eoque non in primo, aut secundo gradu Consanguinitatis. 5. Ut Impedimentum sit occultum, seu tale, quod vel omnino probari nequit, vel si probari posset, nullum tamen periculum sit, ne ulterius publicetur. Sanch. D. 40. cit. n. 11. Bosco de Matr. D. 12. sect. 13. n. 138. Reiffenstuel Append. n. 44.

Addidi pro foro conscientie solammodo; nam pro Foro externo in prorsus nullo casu super Impedimento aliquo dirimente dispensare potest Episcopus, nisi speciale habeat privilegium concessum à Papa, prout tanquam certum docent, vel potius supponunt Henricq. l. 12. de Matr. c. 3. n. 2. Sanch. l. 2. de Matr. D. 40. n. 10. Barbol. de Offic. Episc. alleg. 35. n. 11. Fagnan. in c. nimis de filiis Presbyt. n. 37. Bosco sect. 13. cit. concl. 3. Reiffenstuel Append. n. 19. & alij arg. Concil. Trid. sess. 24. de reform. c. 6. ubi ferè similiter pro solo interno, non autem pro externo foro concedit Episcopis potestatem dispensandi in Irregularitatibus occultis. Patet etiam exemplo ipsius Pœnitentiariæ, ut pote quæ non nisi in casibus occultis pro conscientie foro dispensat, suasque dispensationes pro illo solo, non item pro externo foro valere ipsamet declarat. Ratio est, tum quia si Impedimentum publicum existat, vix tantæ necessitatis casus fingi potest, ut non meritò dispensatio expectetur Româ; tum quia si Episcopus tali casu dispensaret, non tam evitaret, quàm generaret scandalum.

Ad Rationem Dubitandi, allatam ab Adversarijs, dico, etiam in Lege Pontificia, & Decreto Concilij Generalis dispensare Episcopum, & similes alios Prælatos posse, quando urget necessitas, & ad Sedem Apostolicam non est recursus, talis autem urget in casu proposito, ergo &c.

Queritur 6. An in casu hujusmodi urgentis necessitatis dispensare in Impedimento occulto possit Episcopus etiam ante Matrimonium contractum? R. Affirmativè. Ita Sanch. l. 2. de Matr. D. 40. n. 7. Salas D. 20. de Legib. sect. 3. Hurtad. D. 26. de Matr. n. 7. Pont. l. 8. c. 13. n. 6. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 1. n. 9. Gonzal. in c. 6. de consang. & affinit. n. 2. prop. fin. Wiestner hic n. 66. & sumitur ex fundamento, ex quo probavi, quòd Episcopus in casu extraordinario dispensare possit in Impedimento, post Matrimonium contractum detecto; nam ideo eo casu dispensare Episcopus potest, quia tali casu censetur Pontifex non esse invitus, sed præsumitur dare Episcopo facultatem dispensandi, prout communis DD. opinio, & praxis explicat, juxta quam generale est, quòd in hujusmodi casu extraordinario dispensare quoad Leges Pontificias possit Episcopus, atqui potest contingere, quamvis minus sæpe, casus talis extraordinarius, in quo patet necessitas dispensationem exigat ad contrahen-

hendum Matrimonium inter impeditos Impedimento dirimente. ergo &c.

24. Ut tamen tali casu dispense rite Episcopus, requiritur 1. Ut sit maxima, & urgentissima necessitas, qualis e. g. foret casu, quo aliquis morti proximus ad legitimandas proles cum earum matre vellet contrahere Matrimonium, & id propter intercedens Impedimentum dirimens occultum sine dispensatione non posset; Vel quando ante contractum nuptialem, & omnibus ad hunc paratis, Sponsorum alter in Confessione Sacramentali detegit Impedimentum dirimens occultum, & proveniens ex crimine, cujus detectio notabilem infamiam inferret, & neque à nuptijs abstinere, neque illæ, donec Romæ obtineatur dispensatio, differri possent sine verisimili suspitione occulti criminis in Confessione detecti; nam ex simili necessitate communis Sententia concedit ab Episcopo dispensari posse in Impedimento Voti simplicis continentæ ad contrahendum conjugium, ergo etiam in Impedimentis cæteris; neque enim ista Sedi Apostolicæ magis sunt reservata, quàm Votum illud. Sanch. n. 7. cit.

25. 2. Ut omnibus tentatis medijs, nulla aperiat evadendi via: nam si aliqua reperiat via evadendi suspitionem occulti criminis, & inde orituram infamiam, dispensare ad contrahendum Matrimonium cum tali Impedimento nullo modo potest Episcopus. Et fortassis hæc esse posset via, si fæmina voveret Castitatem ad tempus, v. g. per mensem, consulente Confessario, & dicat consanguineis, se Voto Castitatis alligatam esse, iussimque à Confessario, ut à nuptijs abstineret, donec Voti dispensatio impetretur à Pontifice (tacere enim debet, Votum fuisse ad tempus, ne Episcopi Dispensatio petatur) & dum pro illa dispensatione obtinenda Romam mittitur, posset occultè impetrari dispensatio super vero impedimento. Sanch. l. cit.

26. 3. Ut dispensationis indigi non possint facillè recurrere ad Pontificem, vel huius Legatum, aut alium præditum potestate dispensandi in Impedimentis connubiorum pro similibus casibus; nam si adiri aliquis istorum possit, necessitas Episcopi dispensationem non exposcit: cons. iste in eo casu dispensare non poterit. Navarr. Man. c. 22. n. 85. Cucch. l. 2. Inst. major. tit. 6. n. 310. Vega l. 6. Summ. c. 143. fin. Sanch. l. cit. n. 8. Wiestner hic n. 67.

4. Ut Impedimentum sit occultum, seu tale, quod non sit publicè notum, & neque timeri possit, quòd nunquam in foro externo sit detegendum; nam si occultum non sit, nuptiarum dilatio, dum dispensatio Apostolica impetretur, non affert scandalum. Henriq. c. 3. cit. n. 3. Sanch. n. 11. Perez n. 6. Wiestner n. 68. Et hinc dispensatio ista tantum valet pro foro interno conscientie,

Quæritur 7. An etiam, & qualiter sit per Impedimentis Matrimonij Jure Ecclesiastico dirimentibus dispensare valeat Capitulum sede vacante, & Vicarius Generalis ejusdem? 2. Distinguendo inter casum urgentis necessitatis, de quo dictum est à n. 78. & inter casum, quo extra hanc ex quasi privilegio (nam propriè privilegium non est, cum tantum duret ad certum tempus) seu facultate speciali sibi generaliter concessa dispensare potest Episcopus, de quo sermo est n. 73.

in primo casu sicut Episcopus, ita & Capitulum Sede vacante, & huius Vicarius Generalis validè, & licitè dispensant, si concurrant requisita n. 81. & 84. ac seqq. allegata, Gobat Exper. tr. 9. n. 585. Reiffenstuel Append. n. 32. Ratio est, quia Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in omnibus, quæ sunt Jurisdictionis Ordinariæ (demptis solis casibus in Jure specialiter exceptis) potestque in specie dispensare in omnibus casibus, in quibus Jure Ordinario potest Episcopus, ut dictum est Libr. 3. Tit. 9. n. 2. § 31. atqui in casibus n. 78. § 83. expressis pro foro conscientie Jure Ordinario dispensare potest Episcopus, cum hæc potestas ei competat ratione Officij sui Pastoralis, ita, ut statim, ac sit Episcopus, hoc ipso tacitè saltem concessam, & perpetuè quidem duraturam habeat præfatam potestatem dispensandi in foro interno, neque hæc facultas specialiter invenitur excepta, ergo &c.

in secundo casu, seu illo, quo Episcopus dispensare potest ex quasi privilegio, seu facultate speciali sibi generaliter concessa, nullo modo dispensare potest Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius Generalis, Ita communis, & quasi certa Sententia, teste P. Reiffenstuel Append. n. 33. Ratio est, quia Capitulum, Sede vacante, non succedit Episcopo in ijs, quæ Episcopo ex facultate, aut privilegio speciali competeant, ut ostensum est Tit. 9. cit. n. 3. ergo &c.

Quæritur 8. An, quando, & quomodo dispensare super Impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus valeat Vicarius Generalis Episcopi? Certum est, non posse dispensare vi Officij sui, & sine speciali mandato super Impedimentis, super quibus dispensare Episcopus potest ex quasi privilegio, vel speciali facultate concessa. Ita unanimis teste P. Reiffenstuel Append. n. 35. quia ut n. præc. dictum est, in his, quæ potest Episcopus ex speciali privilegio, & facultate, neque Capitulum Sede vacante succedit, cum tamen istius major potestas sit, quàm Vicarij Generalis Episcopi.

Dubium est, quando casus est extrajuridicus, & urgentis necessitatis, in quo secundum dicta n. 79. § 83. dispensare Episcopus potest? Ratio dubitandi est; quia ex mandato, seu commissione generali illi com-

competit pertractatio causarum Matrimonialium, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 28. n. 23. v. 3.*

*Sed dicendum*, Vicario Generali Episcopi vi officij sui potestatem dispensandi in hujusmodi extraordinarijs casibus sine speciali mandato non competere. Ita Gloss. in *can. que de causa 9. V. quidquid caus. 2. q. 5.* Felin. in *c. at si Clerici 4. §. de adulterijs n. 21. de Judic. Cucch. l. 2. Instit. major. tit. 8. n. 111.* Gutier. l. 1. qq. Canon. c. 19. n. 15. Sbrozz. l. 2. de Vicar. Episc. q. 35. n. 3. Henric. l. 12. de Matr. c. 3. n. 2. Sanch. l. 2. de Matr. D. 40. n. 12. Conink D. 33. n. 33. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 1. n. 12. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 54. n. 121. Perez D. 44. sess. 7. n. 2. Bolco de Matr. D. 12. sess. 13. concl. 3. n. 189. Wiestner hic n. 71. Reiffenstuel Append. n. 34.

92 *Ratio est 1.* Quia casus extraordinarij non comprehenduntur in mandato generali. 2. Quia dispensatio equiparatur restitutioni in integrum, igitur sicut hæc commissio generali non comprehenditur, sed indiget speciali mandato l. *illud 25. ff. de minor.* ita etiam dispensatio in Impedimentis speciale Episcopi mandatum exigit, vel saltem tale, quo committantur omnes causæ, quæ in foro conscientie quomodocunque competunt. 3. à pari cum dispensatione in Irregularitatibus, & Suspensionibus occultis, in quibus licet dispensare, & absolvere respectivè possit Episcopus, sine speciali tamen istius mandato non potest ejus Vicarius Generalis, ut patet ex Trid. sess. 24. c. 6. de reform. ibi. *Per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum.*

93 Porro quod modò dictum est de Vicario Generali Episcopi, dicendum etiam de eo, qui privilegium habet dispensandi in casibus Episcopalis; nam neque iste, etiam pro foro interno, dispensare potest in Impedimentis Matrimonij, quacunque causa urgente, ut rectè advertunt Henric. l. 6. de Pœnit. c. 14. n. 7. & Lit. P. Rodriq. in Bull. cruciat. §. 9. n. 118. Sanch. D. 40. cit. n. 9. Ratio est, quia casus, in quibus Episcopus præcisè ratione urgentis necessitatis dispensat, non sunt propriè Episcopales, sed Apostolici, & Episcopo præcisè ex quadam Juris interpretatione, & casualiter permiffi censentur.

94 *Quæritur 9.* An facultas in prædictis casibus dispensandi in Impedimento occulto delegari alteri ab Episcopo valeat? Negant Bald. in l. *si cum inter 2. C. quand. provoc. non est necess. n. 6.* Felin. in *c. quod sedem 10. de Offic. Ordin. n. 2.* & alij plures apud Gratian. Reg. 443. n. 13. Nituntur t. c. *fin. de Offic. del. g.* ubi Gregorius IX. Nulli, inquit, cui commissum fuerit - - excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare in Irregularitatibus - - licet hæc de cetero alijs demandare. 2. Trid. sess. 24. c. 6. de reform. ubi R. P. Schmaizgrueber L. 1P.

Episcopis in casibus occultis conceditur facultas dispensandi *per seipfos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum*, non obscuro indicio, illam facultatem deputari posse soli Vicario, non etiam alijs. 3. Quando electa est industria personæ, locum delegatio non habet, nisi respectu personæ à committente expressæ. Videtur autem l. *cit.* à Trid. electa esse industria personæ, ergo potestas hæc alteri, quàm Vicario, quem exprimit, delegari ab Episcopo nequit. 4. Jurisdictio Voluntaria, commissæ ex privilegio Principis, delegari non potest secundum Bald. n. 6. *cit.* sed hæc Jurisdictio dispensandi in casu urgentis necessitatis commissæ est à Pontifice Episcopis, ergo nequeunt eam delegare.

*Sed dicendum*, potestatem istam per 95 delegationem ab Episcopo committi alteri posse. Ita Gloss. in *c. fin. V. casibus de Offic. Ordin.* Joan. Andr. *ibid.* n. 3. Bald. n. un. Abb. n. 3. Sylv. *V. delegatus q. 8. dict. 1. §. V. Absolutio 4. q. 2. §. 6.* Angel. *V. Excommunicatio 5. cas. 1. n. 39.* Navar. *Man. c. 27. n. 45.* Covar. l. 3. var. c. 20. n. 6. & n. 10. pr. Henric. l. 12. de Matr. c. 3. n. 2. Sanch. l. 2. de Matr. D. 40. n. 14. Conink D. 33. n. 33. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 1. n. 13. Wiestner hic n. 72. Reiffenstuel Append. n. 36. & duobus seqq. Et quidem, quòd ab Episcopo potestas hæc delegari possit Vicario suo Generali, patet ex verbis Trid. in 2. dubitandi ratione allatis.

96 *Conf.* Ex praxi, & consuetudine universalis, quæ constat, omnes ferè Episcopos, saltem illos, qui amplas Dioceses habent (uti in Germania) instruere Vicarios suos Generales tali mandato, ut notant Abb. in *c. 8. de in integr. restit. n. 5.* Roland. à Valle. Vol. 2. conf. 26. Covar. l. 1. var. c. 6. n. 2. & 3. Wiestner hic n. 71. Reiffenstuel Append. n. 39. consuetudo autem optima interpretis Legum est *c. cum dilectus 8. de consuet.* ac etiam in defectu omnium aliorum tribuit Jurisdictionem *c. duo simul 9. de Offic. Ordin. & c. cum contingat 13. de for. compet.*

Quòd verò etiam alijs Clericis idoneis ab eo delegari possit, ostendit ratio; nam Jurisdictio, quæ Principis concessionem Dignitati, vel Officio perpetuò competit, est instar Ordinariæ, & conf. sicut ista, ita & illa delegari liberè alijs cuicunque idoneo potest; talis est potestas dispensandi in Impedimentis Matrimoniorum occultis pro casu urgentis necessitatis; ergo etiam ipsa delegari cuicunque idoneo poterit ab Episcopo.

97 Neque obstant textus, & Argumenta opposita in contrarium. Ad 1. textus §. *fin. cit.* solum loquitur de casu, quo personæ nudum ministerium committitur, ut patet ex subjectis verbis: *Quia non sibi Jurisdictio, sed certum ministerium committitur*; quando autem nudum ministerium committitur, Aaa de-

delegatio locum non habet; quia electa censetur esse industria personæ. *Ad 2.* Tridentinum eo loco solum vult dicere, quod potestas dispensandi in casibus occultis Vicario generali competat, non vi commissionis ipsius Vicariatus, sed vi mandati specialis solummodo; nequam autem mens ejusdem fuit prohibere Episcopo, ne ejusmodi causas particulares, & facultatem in ijs dispensandi deleget alijs. *Ad 3.* quando electa est industria personæ, potestas mandata ad mandatarij successorem non transit; ita autem transit potestas hæc dispensandi in casu necessitatis concessa Episcopis, cum annexa sit Dignitati, & Officio Episcopi. Hinc *ad 4.* respondeo distinguendo: Jurisdictio, concessa à Principe, delegari non potest, si sit commissæ personæ, *Concedo*: si sit commissæ Dignitati, vel Officio in perpetuum, *Nego*.

98 Quæritur 10. Quomodo delegare potestatem dispensandi quoad Impedimenta in causa necessitatis Episcopus possit Vicario suo Generali, vel alijs? *Henriq. l. 14. de Irregular. c. 19. fin. & l. 6. de Penit. c. 14. n. 7. junct. Comment. Lit. O.* putat eum non posse potestatem hanc Vicario suo Generali, vel alij delegare generaliter, ita, ut habeant facultatem generalem dispensandi pro suo arbitrio; sed tantum posse Vicario suo eam delegare specialiter, scilicet, quando casus occurrerit. *Fundatur* verbis *Trid. cit.* ubi expressè conceditur Episcopis, ut dispensare possint per se, vel per Vicarium specialiter deputatum. Item, quia dum hi casus Episcopo committuntur, eligitur industria personæ. *Sed hoc casu* non esse electam industriam personæ, patet ex dictis *n. præc. & confirmatur*; nam si personæ industria electa esset, nec specialiter facultatem hanc delegare alij posset. Neque aliud probant allegata verba *Trid.* quia Concilium solum innuit, quod dispensatio hæc non competat Vicario ex vi generalis commissionis, quâ Episcopus ipsum constituit Vicarium suum. Quare dicendum, posse hanc potestatem ab Episcopo alicui etiam delegari generaliter, ut dispensare possit, quancumque talis casus occurrerit. *Sanch. l. 2. de Matrim. D. 40. n. 17. circa medium.*

99 Porro licet DD. aliqui putent hanc potestatem delegatam intelligi, si Episcopus in genere Vicario suo dicat, *Do*, vel *concedo tibi omnem potestatem, & Jurisdictionem, quam ego habeo*, vel saltem si dicat, *Do tibi omnem meam potestatem etiam ad ea, quæ speciale mandatum requirunt*. Alij tamen cum *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. n. 59. Engl. de Offic. Vicar. n. 10. Reiffentuel Append. n. 40.* negant verba ista sufficere, eo quod delegatio talis, vel concessio nimis generalis sit, atque adeo subintret *Regula 21. in 6. In generali concessione &c.* Quare ut delegata cen-

seatur potestas dispensandi quoad Impedimenta dirimentia in casibus occultis, Episcopus, eam potestatem concedens Vicario suo Generali, in Commissione sua vel exprimere verbis debet, quod hanc potestatem ipsi committat, vel saltem aliqua alia, quæ speciali mandato indigent, expressè ponere, additâ dein clausulâ, *Et omnia alia.*

Quæritur 11. An eodem urgentissimo gravissimæ necessitatis casu in Impedimento occulto dispensare possint etiam Religiosi Mendicantes? *Ratio dubitandi est*, quia, ut refertur in *Compend. Privil. Societ. Jesu V. dispensatio §. 7.* Confessarij Societatis, & aliorum etiam Ordinum, qui cum Societate in Privilegijs communicant, si sint viri docti, & juxta formam Tridentini approbati, ex commissione Provincialis dispensare in foro conscientie possunt ad petendum debitum cum his, qui consanguineam sui conjugis post Matrimonium carnaliter cognoverint; ergo potuerunt etiam dispensare in ipso Matrimonio, contracto cum Impedimento Affinitatis, ortæ ex copula fornicaria, habita cum consanguinea uxoris ante Matrimonium. Ita quidem non nemo existimabat inferri posse; sed male, & sine sufficienti fundamento.

Quare tenenda est negativa Sententia, & dicendum, casu, quo ad Confessarium etiam Mendicantem defertur casus, in quo dispensationem super occulto Impedimento exposcit urgens necessitas, & Papa, aut ejus legatus, vel alius potestate dispensandi præditus adiri nequit, Sponfos, vel conjuges, dispensationis indigos, remittendos esse ad Episcopum, aut dispensandi facultatem ab ipso petendam. Ita *Rodriq. tom. 3. Regul. q. 2. art. 2. Henriq. l. 12. de Matr. c. 3. n. 3. Sanch. l. 2. de Matr. D. 6. n. 28. Pont. l. 8. c. 13. n. 11. Perez D. 44. sect. 7. n. 13. Gobat Exper. tr. 9. n. 721. Wiestner hic n. 73.* Afferunt quidem nonnulli privilegium aliquod, quod à Leone X. concessum dicunt Mendicantibus ad dispensandum cum ijs, qui scienter, aut ignoranter contraxerunt Matrimonium cum Impedimento Affinitatis, modò id notorium non sit, nec in Judicium deductum. Sed *Rodriq. art. 2. cit.* dicit, id privilegium nullatenus esse in usu, & se credere pro unico solo actu fuisse concessum; *Henriquez verò n. 3. cit.* ait, eo privilegio nihil concessum aliud Mendicantibus, quam ut ad petendum debitum dispensare possent cum conjugæ, qui post contractum Matrimonium commisit incestum cum consanguinea uxoris, aut vicissim.

*Ad Rationem dubitandi Nego* Consequentiam; quia Privilegia non admittunt interpretationem latam, & Argumento à concessio minore ad majus locus non est arg. *Reg. quæ à Jure 23. in 6.*

## S. V.

## De Causis Dispensationis Matrimonialis.

## S U M M A R I U M.

102. Causa iusta dispensandi in Impedimentis dirimentibus est I. Prærogativa Dignitatis Regie, vel Principalis.
103. II. Conservatio Illustris Familie in eodem sanguine.
104. III. Splendor ejusdem aliàs interiturus.
105. IV. Excellentia meritorum.
106. V. Extinctio litis.
107. VI. Bonum pacis aut conservandæ, aut inducendæ.
108. VII. Evitatio scandali.
109. VIII. Angustia loci.
110. IX. Locus situs ad litus maris.
111. X. Defectus Dotis competentis.
112. XI. Ætas feminae.
113. XII. Matrimonium cum ignorantia impedimenti bona fide contractum.
114. XIII. Copula inita cum Consanguinea, vel Affine.
115. XIV. Infamia periculum.
116. XV. Causa generalis dicta ex certis, & rationabilibus causis.
117. Pro dispensatione in Voto Castitatis, & Religionis ex parte materia causa iusta est I. mutatio ejusdem.
118. II. Dubium superveniens, an Votum sit ritè editum.
119. Ex parte votantis I. defectu mature deliberationis.  
II. Metus, etiam levis.
120. III. Cessatio cause.  
IV. Periculum frequenter peccandi contra Votum.
121. V. Nimia carnis fragilitas.
122. VI. Necessitas publica.
123. &c. Quando censeatur adesse defectus Dotis?
129. &c. Quando non adfit?
133. &c. Quenam cause in singulis personarum generibus sufficiant ad dispensandum in Impedimento Consanguinitatis?
140. 141. Affinitatis ex copula licita.
142. Et illicita.
143. Cum quibus, & ex qua causa dispensari soleat in Impedimento publicæ Honestatis?
144. Cognationis Spiritualis?
145. Griminis?
146. Ordinis Sacri, aut Professionis Religiosæ?
147. 148. An eadem cause sufficiant, ut dispensare in hujusmodi Impedimentis possit Episcopus, vel alius potestatem dispensandi habens?
149. &c. An Dispensatio, obtenta à Papa ad contrahendum Matrimonium inter Consanguineos in gradu prohibito, valeat, si in ea causa falsa expressa sit?
155. &c. Qualis error dispensationem vitiet?
158. &c. Quo tempore necesse sit veram esse Dispensationis causam?
166. &c. An valeat Dispensatio facta ex causa insufficiente, quam dispensans putavit sufficientem esse?

102. Queritur I. Quanam sint iustæ causæ dispensandi in Impedimentis Matrimonij dirimentibus? R. circa numerum istarum causarum variant DD. Navar. Man. c. 22. n. 87. Sanch. l. 8. de matr. D. 19. n. 8. Conink D. 33. n. 45. reducunt illas ad ternarium; alij plures statuunt: Corrad. Praxis Dispens. Apost. l. 7. c. 2. § 3. recenset omnino viginti sex; quæ tamen omnes commodè ad quindecim possunt contrahi, prout illas contrahit P. Reiffenstuel Append. n. 69.

Prima est Prærogativa Dignitatis Regie, vel Principalis; nam hujus intuitu Pontifex dispensare solet etiam in secundo gradu Consanguinitatis, & Affinitatis, ortæ ex legitimo conjugio, ut habet praxis, & non obscure approbat Trid. sess. 24. c. 5. in fin. de reform. Matr. ubi, cum statuisset, ut in secundo gradu nunquam dispenseretur, providè excipit Magnos Principes: Nec immeritò; quia inita inter hujusmodi personas conjugia spectant ad conservationem pacis, & R. P. Schmalzgrueber L. IV.

tranquillitatis publicæ, atque ad Regnorum, & Principatum felicitatem tendunt. Sanch. l. 8. de Matr. D. 19. n. 5. Conink D. 33. n. 46. Gobat Exper. tr. 9. n. 604. Wiestner bic n. 77. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 46. Neque opus est ad impetrandam pro hujusmodi personis dispensationem allegare aliquam aliam causam; quia licet talis causa in specie non allegetur, semper tamen adesse censetur, scilicet vel excellentia meritorum, vel conservatio publicæ tranquillitatis, consequenter bonum commune.

2. Conservatio Illustris Familie in eodem sanguine, aliàs peritura; quia hujusmodi Familias conservari ad pietatem, & publicum bonum aliquo modo pertinet; cumque Summus Pontifex quoad dispensationem in pluralitate Beneficiorum erga Nobiles se proniorem ostendat, ut patet ex c. de multa 28. de Præbend. pariter quoad dispensationem in Matrimonio non erit adeo difficilis. Sanch. D. 19. cit. n. 31. Henric. l. 12. de Matr. c. 3. n. 9. Corrad. prax. Dispens.

*Spens. Apost. l. 7. c. 2. n. 106. § seqq. Conink D. 33. cit. n. 49. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 2. n. 2. Reiffenstuel Append. n. 70. Unde ex hac causa Pontifex etiam dispensat cum Sacerdotibus, & Religiosis, ut nubere valeant: & sic Henricus, l. cit. refert, Gregorium XIII. anno 1578, dispensasse cum Luisa Comitissa S. Gadæ, ut non obstante Voto Continentiæ, quo adstricta erat, & Impedimento tum Consanguinitatis, tum Affinitatis nuberet Patruo, cui prius Soror ejusdem nupserat.*

104 3. *Splendor, ac dignitas Familie Illustris, aut Nobilitate præcellentis*, ut hic in ea conservetur, & opes ejusdem ad alienas manus non veniant, Casus præcipue contingit, quando familiæ alicujus linea, masculis præmorta, hæredem bonorum habet foemina; nam ne hujus hæreditas ad extraneos deveniat, aliquando dispensatio datur contrahendi Matrimonium inter Consanguineos etiam propinquiores. Idem contingere potest, siquæ Nobilis instituitur hæres hac conditione, ut alicui ex familia sua pro ejusdem conservatione nubat. Vin. de Just. Prax. Dispens. l. 3. c. 13. § 14. Bosco de Matr. D. 12. sect. 13. n. 262. Gonzal. in c. 6. de Consang. n. 3. Gobat. tr. 9. cit. n. 606. Englich §. 3. n. 3. Wiestner n. 78. *ibid. cum supra allegatis.* Ratio est, quia ad publicum bonum pertinet, Familias Illustris conservari in suo splendore, & bona illarum extra familiam non devenire in manus aliorum, quod sæpe fieret, si persona propinqua inter se Matrimonium non possent contrahere. Accedit, quia Illustris Familias maxime affligit, si vident bona ejusdem, præsertim domum ejus principalem ad extraneos devenire juxta illud Jerem. c. 5. *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos.* Unde cum etiam DEUS in antiquo Testamento ad bona in quavis familia conservanda voluerit, ut foemina uni de propria cognatione nuberet, eadem conservatio in novo Testamento erit causa sufficiens saltem ad dispensandum.

105 4. *Excellentia meritorum in Ecclesiam, ratione insignium laborum, vel periculorum, in bello contra Infideles, Hæreticos, aliosque Reip. hostes ab uno contrahentium, vel à parentibus ipsorum, aut eorum conjunctis exantlatorum; nam horum intuitu dispensari aliquando solet, si ipsi velint contrahere, si pro contrahere volentibus intercedant, prout habetur can. tali 17. ibi: Nisi quem evidens meritorum prerogativa commendat caus. 1. q. 7. Sanch. n. 32. Conink n. 49. Corrad. n. 109. Palao n. 2. Justis c. 12. Bosco n. 262. Gonzal. n. 3. Englich n. 3. Wiest. n. 79. Reiffenstuel n. 71. Magnif. P. Schmier n. 48.* Ratio patet; nam omnino conveniens est, ut Ecclesia benignam, & liberalem se exhibeat erga eos, qui de ipsa bene meriti sunt, aut mereri possunt. Hinc Co-

batr. 9. cit. n. 606, rectè infert, ex hac causa dispensari cum Centurione, qui in bello Turcico insigniter sese gessit.

5. *Extinctio litis, si speretur, ejusmodi conjugio componendam & tollendam litem, quæ inter duas familias agitur super bonorum successione, & alijs magni momenti rebus, ac Juribus. Idem dicendum, si Oratorum alter habeat litem, quam ipse ob inopiam, vel rerum imperitiam prosequi non potest, prosequetur autem alter contrahentium, quia potentior opibus, & peritior rerum est; nam ex hujusmodi causa in Gradibus remotioribus Dispensationes concedi, ajunt Conink n. 45. Corrad. à n. 54. Justis n. 4. Palao §. 2. n. 2. Bosco n. 25. Perez D. 45. sect. 5. n. 6. Fagnan. in c. quia circa de Consang. n. 8. § seqq. Wiestner ibi n. 81. Reiffenstuel Append. n. 72.* Ratio est, quia cum lites causa odiorum, & discordiarum fomenta sint, publicè interest eas sopiri, & expediri, Accedit, quia etiam ad pietatem pertinet, omnibus modis subvenire illis, qui pro rerum suarum jactura certant, & auxilio destituti sunt. Ceterum cujus quantitates, vel qualitates bona hujusmodi esse debeant, totum pendet ex arbitrio executoris, cui relinquuntur ea, quæ certa lege definita non sunt, certaque sub regula comprehendi non possunt l. si servus 1. in fin. ff. de Jur. deliber. Corrad. n. 57.

6. *Bonum pacis aut conservanda, aut inducenda, si scilicet per hujusmodi conjugium, inter personas conjunctas, vel aliter impedita initium, stabili pax, arque concordia, sopiri odia, extingui discordia, & inimicitia graves possint.* Sanch. D. 19. cit. n. 8. Conink n. 45. Corrad. n. 74. Justis c. 5. § 6. Perez n. 6. Bosco n. 259. Palao n. 2. Gonzal. in c. 6. de Consang. n. 3. Honor. tit. eod. n. 17. Englich n. 8. Wiestner n. 80. Reiffenstuel n. 73. § 74. Magnif. P. Schmier n. 49. Ratio est, quia pax Civium plurimum conducit pro bono publico, ex inimicitijs verò istud læditur, innumeræque scandala, peccata, & alla mala consequuntur: ut proinde ad pacem procurandam, vel conservandam meritò Pontifex dispenset in Lege sua, cum eorum intuitu etiam in alijs recedi soleat à Juris communis Regulis c. cum ex injuncto 2. de vot. oper. nunt. Porro quanam inimicitia censenda sint ita graves, ut propterea dispensatio sperari possit, communiter relinquitur arbitrio Judicis. Menoch. de arbit. cent. 2. cas. 110. n. 3. Justis l. cit. n. 19. In specie censetur gravis, quæ vel oritur ex atroci injuria, præsertim si offensus est cupidus vindictæ. Tusch. lit. 7. concl. 149. vel ex controversia circa magnam partem bonorum Tusch. l. cit. n. 8. Just. n. 23. Reiffenstuel n. 73. cit. 8. que autem.

7. *Evitatio scandali.* Abb. in c. quatuor circa 6. de Consang. n. 2. Joan. Andr. n. 4. Sanch.

Sanch. l. cit. n. 9. Justis n. 2. Reiffenstuel n. 75. nam universaliter etiam propter evitanda scandala à communi Jure receditur arg. c. cum ex injuncto cit. ibi, Licet opera illa, que sine mortali peccato omitti non possunt, non sint pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro vitando scandalo committi, que sine mortali peccato committi non possunt, ab his tamen, que sine mortali peccato committi possunt pariter, & dimitti, sit pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistendum. Ubi Gloss. V. pro vitando scandalo ait, Nota, quòd pro aliquo scandalo vitando non debet quis mortale peccatum committere; quia utilis scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur c. 3. de R. J. alias si aliqua possint fieri, vel omitti sine mortali, detrahendum est Juri. Scandali autem nomine hic intelligitur occasio, causa, vel periculum peccati, v. g. inimicitie, odij, homicidij, incontinentie, vel alterius cujuscumque gravis peccati.

8. *Angustia loci*: cum scilicet locus, in quo habitant contrahere volentes, valde angustus, aut foemina cognatio in eo loco valde sit propagata; ita, ut necesse sit, ut vel contrahat Matrimonium cum persona inæquali sibi, aut ad æqualem habendam se aliò transferat, vel si hoc nolit, perpetuò inupta maneat, nisi dispensetur ad contrahendum Matrimonium cum persona conjuncta, vel aliter impedita. Sanch. n. 12. Conink n. 46. Corrad. à n. 6. Justis c. 2. Palao §. 2. n. 2. Perez n. 7. Bosco n. 260. Gonzal. n. 3. Engl. n. 8. Wiestner n. 82. Reiffenstuel n. 76. Magnif. P. Schmier n. 51. Ratio est, quia primum indecens est; secundum, foemina præsertim, valde difficile, cum solatio propinquorum, & parentum non ita tarere possint, ut viri; tertium denique etiam periculosum est ob periculum incontinentie. Accedit, quia communi, & privato ipsorum conjugum bono valde expedit, personas ad unum, vel alterum conjugium non coarctari, quod fieret, si tali casu dispensatio non daretur. *Proceditque hoc* 1. etiam si in locis circumvicinis reperiretur Matrimonium æquale, ut contra Navar. Petr. de Ledesm. Grass. Lud. Lop. Vega post Galleg. Henric. Rodriq. docet, & Declaratione Card. ad instantiam Archi-Episcopi Mediolanensis 18. Nov. 1570, data confirmat Sanch. n. 13. *Procedit* 2. etsi in loco illo inveniri possit status, genere, & divitijs æqualis, si dispar sit moribus, genio, Religione; nam æqualitas non ex sola generis, aut divitiarum æqualitate pensanda est, sed magis ex honestate morum, ne inter conjuges pax deficiat, Sanch. n. 15. Palao §. 2. n. 2. Bosco n. 260. Engl. n. 8. Reiffenstuel n. 76. *Procedit* 3. licet non exacta, sed moralis duntaxat diligentia adhibita sit ad indagandum, an non aliquis Impedimento carens, puellæ ad nubendum æqualis inveniatur in loco, ut cum

Navar. Petr. de Ledesm. Grass. Vega advertit Sanch. n. 14. imò sufficit, si puella decenter ornata, & quasi exposita ad nubendum, per aliquot annos incedebat, & tamen illam nullus pro nuptijs expetijt, ut alijs cit. vult P. Reiffenstuel l. cit.

9. *Quando locus situs est ad litus maris*, 110 & propterea continuis piratarum, & fidei Catholicæ hostium excursionibus expositus, adeo, ut Extranei difficulter haberi possint, qui nubere velint cum hominibus in tali loco existentibus. Corrad. c. 2. cit. n. 49. Barbof. ad Conc. Trid. sess. 24. c. 5. de reform. Matr. n. 16. Engl. n. 8. cit. Reiffenstuel n. 96. ob rationes allatas pro causa relata n. præc.

10. *Defectus Dotis competentis*: quando scilicet vel omnino nullam, vel non competentem habet Dotem ad nubendum alicui æquali. Sanch. n. 16. Conink n. 47. Corrad. n. 21. Justis c. 3. Palao n. 2. Gonzal. n. 3. Bosco n. 261. Engl. n. 8. Wiestner n. 83. Reiffenstuel n. 81. Magnif. P. Schmier n. 52. Ratio est; quia defectus dotis faceret, ut aut inuptæ manere cogantur foemina cum periculo incontinentie, aut compellantur nubere inæquali cum discrimine infausi conjugij, quorum neutrum publicè expedit.

11. *Ætas foemine*, si hæc 14. ætatis 110 annum excefferit, & tamen virum paris conditionis, cui nubere possit, hæctenus non invenerit, Corrad. n. 23. Justis c. 2. Barbof. n. 8. Engl. n. 8. Reiffenstuel n. 92. & alij communiter. Ratio est, quia etiam Leges Civiles favere solent puellis 14. ætatis annum excedentibus: & merito, ne in periculo incontinentie omnino inuptæ manere debeant. Hæc tamen causa non procedit in Viduis; quamvis enim SS. Canones binubentes tueantur adversus Constitutionem pœnalem Juris Civilis, ut videbimus infra Tit. 21. in hoc tamen puncto eisdem Curia Romana deferre non consuevit, ut docet praxis teste Corrad. n. 85.

12. *Matrimonium cum ignorantia Impedimenti bona fide saltem unius contractum*: estque hoc casu perinde, sive proles ex tali conjugio sit suscepta, sive non; nam utroque casu in gradu non valde propinquo dispensatio haud ægrè concedi solet, idque non tantum favore proles, sed etiam Matrimonij, quòd hujus separatio sine gravibus incommodis, & scandalo raro fiat c. quia circa 6. de Consang. Sanch. n. 33. Justis c. 16. Conink n. 49. Perez n. 12. Engl. n. 8. Wiestner n. 85. Reiffenst. n. 97. Magnif. P. Schmier n. 53. Secus est, si contractum sit mala fide utriusque, vel omillis culpabiliter Denuntiationibus; nam hoc casu, etsi etiam multiplex proles ex tali Matrimonio suscepta esset, Dispensatio tamen Apostolica sperari non posset, quòd ita contrahentes gratiam Apostolicam non mereantur, Trid. sess. 24. c. 5. de reform. Matr.

114 13. *Copula cum Confanguinea*, vel Affine, aut alia impedimentum habente perpetrata, & propolata ex imprægnatione; v. g. subsecuta prole. Corrad. c. 3. n. 1. & seqq. Justis c. 17. Reiffenstuel n. 94. Ratio autem, cur ob hanc causam dispense Pontifex, est, ut consulatur famæ, & honori mulieris, utpote quæ aliàs diffamata, & in-nupta maneret, vel certè virum parem acquirere non posset. Estque causa ista una ex urgentioribus, adeo, ut intuitu illius, vel potius ob effectus inde secutos, aut secuturos, Papa non tantùm cum Nobilibus, sed etiam cum plebeijs, non obstante, quòd in gradu secundo consanguinei sint, pro foro externo dispense, modò copula non sit habita sub spe faciliùs postea impetrandæ dispensationis; id enim in Supplicatione exprimendum esset juxta dicenda *infra* n. 172. Justis l. 1. de Dispens. c. 4. à n. 322. Reiffenstuel Append. n. 94.

115 14. *Infamia mulieris*, inde orta, quòd ob nimiam Oratorum familiaritatem, & liberio-riorem inter se conversandi modum orta sit suspicio, licet falsa, eos carnaliter se invicem cognovisse. Corrad. c. 3. cit. n. 7. Engl. b. tit. n. 7. ubi per extensum refert dispensationem factam à Leone X. Ratio est, quæ in priori causa, videlicet ne aliàs mulier graviter diffamata, indeque innupta, non sine scandalo remanere debeat. Wiestner hic n. 27. Reiffenstuel n. 95. Magnif. P. Schmier n. 54.

116 15. Denique in Gradibus saltem remotioribus cum personis Nobilibus, aut aliàs valde honestis non rarò dispensari à Papa solet *ex certis*, & *rationabilibus causis*, nullà expressâ in specie. Dispensationes istæ sine causa vocantur: non quòd sine causa concessæ sint; nam revera Papam semper justa aliqua causa movet ad eas concedendas: sed quòd certa causa in ijs non exprimitur, & propaletur. Et hinc etiam Executor in eam non debet inquirere, sed sufficit, quòd verificentur alia narrata, v. g. an Oratores sint de familia nobili, vel honesta, prout in Litteris exprimitur. Sanch. l. cit. n. 35. Corrad. n. 111. & seqq. Justis c. 1. n. 114. Wiestner hic n. 89. Reiffenstuel n. 98.

117 Quæritur 2. Quæ sint causæ justæ ad dispensandum in Voto Castitatis, & Religionis? R. Causæ in his dispensandi sunt duplicis generis, aliæ scilicet se tenent ex parte materiæ, aliæ ex parte voventis.

Ex parte materiæ causa justa dispensandi in Voto est 1. quando prudentis judicio ob mutationem circumstantiæ dubitatur, an Voti materia facta sit inutilis, mala, aut majus bonum impediens; tunc enim expedit dispensari cum vovente, ne fortè Voti impletio ei noceat, aut majorem DEI gloriam impediatur. Intelligendum autem hoc est, quando prudentis arbitrio dubium est, an

Voti materia sit facta inutilis, mala, & impeditiva majoris boni; nam si certum hoc sit, non esset opus dispensatione, quòd eo casu Votum per se desinat obligare. Sylv. V. dispensatio q. 14. n. 20. fin. Sanch. l. 8. de Matr. D. 20. n. 10. Conink D. 33. n. 50. Deinde Voti materia considerari non debet secundùm se tantùm, sed quatenus ex Voto obligat: & hinc ut votum dici possit impeditivum majoris boni, bonum istud compensare debet non tantùm bonitatem actus Voto promissi, sed etiam illam, quam habet ex Voto; aliàs illud non erit, omnibus consideratis majus.

2. Quando dubium est, an Votum ab initio obligarit. Et quidem cum dubium est, an quispiam voverit, nulla opus est dispensatione, cum eo casu præsumatur pro libertate: opus verò illà est, quando aliquis scit se vovisse, sed dubitat, an satis deliberatè voverit, aut cum intentione verè vovendi; tunc enim Voti obligatio est in possessione. Qua proinde, ut vovens se liberet, opus est, ut vel impetret dispensationem absolutam, quæ dari eidem potest, præsertim si alia causa accedat; vel saltem ut Votum in levio-riorem materiam commutetur; quia ratio exigit, ut non tam strictè exigatur debitum dubium, atque certum. Sanchez D. 20. cit. n. 11. Conink n. 51. cit.

Ex parte voventis causa justa dispensandi in Voto est 1. quando Votum leviter, & ut à pueris solet, sine matura deliberatione est editum. c. venientis 2. de Vos. Neque opus est eo casu, ut accedat causa alia, ut contra Valentiam rectè monet Sanch. n. 12. ob rationem, quia aliàs nihil peculiare tribueretur facilitati, ac imprudentiæ in vovendo. Unde cum DD. ad dispensationem Voti petunt causam illius executioni obstantem, intelligendi sunt de Votis prudentes emissis.

2. Quando Votum illud extortum est metu etiam levi, vel dolo obtentum. Sanch. n. 15. Conink n. 53. Palao tr. 15. D. 2. p. 9. n. 9. Wiestner hic n. 88. Ratio est, quia Voti sic editi remissio cedit ad honorem DEI, qui faciliè remittit obligationem, cui aliena iniquitas causam dedit. Debet tamen ejusmodi metus esse injustè incussus; nam si emissum esset metu mortis imminentis ex naufragio, infirmitate, aut alia simili causa, causam dispensandi justam non præbet, nisi metus talis fuerit, ut maturam deliberationem, & consilium prudens excluderet. Sanch. n. 14.

3. Quando causa, quæ impulsit ad remittendum Votum, omnino desijt, ut si vovisti Castitatem, quia sperabas ingredi certam Religionem, aliàs non voturus, & jam nullo modo possis in eam admitti. Conink n. 51. Hinc discrimen faciendum est inter causam finalem, & impulsivam; nam si causa finalis omnino cesset, etiam Voti obligatio



gatio cessat, nec opus est dispensatione: contra si cesset causa impulsiva tantum; quia tum adhuc manet obligatio Voti, cum etiam non obstante errore circa hanc causam inducatur: at quia ejus cessatio valde minuit voluntarium, idcirco occasionem Dispensationi præbet. Sanch. n. 16.

121 4. Quando vovens versatur in periculo frequenter peccandi contra Votum. Et quidem si periculum hoc oriatur ex infirmitate, & fragilitate voventis, facile concedunt omnes. Si verò ex malitia, ac pravo voventis habitu, negant *Sotus*, *Rodriguez*, *Vivaldus* apud Sanch. n. 19. Sed hic melius distinguit, an vovens periculum hoc sine magna difficultate possit effugere, vel non. Si *primum*, cum *citt.* DD. negat illud esse causam sufficientem ad dispensandum in Voto. Si *secundum*, affirmat; quia eo habitu supposito, & magna fragilitate inde acquisita, res promissa reddita est vitibus impar, & Votum inutile, utpote quod non vitandis, sed augendis peccatis deservit.

122 5. Quando is, qui Castitatem, vel Religionis ingressum vovit, ob nimiam carnis fragilitatem maximam difficultatem habet in illo servando, quam anrè non prævidit, vel saltem non ita perpendit; quia Votum tunc videtur non ita maturè emissum, vel habuisse aliquid erroris admixtum: & congruit Divinæ liberalitati, non ita rigidè exigere debita, ex liberali promissione orta. Conink n. 54. & patet ex praxi notoria Curia Apostolica. Ex quo deducit Sanch. n. 23. justam esse causam dispensandi, quando vovens ob scrupulos continuò anxius est, an Voto satisfecerit, v. g. an satis attentè legerit preces, quas vovit.

123 6. Quando ad publicam pacem necesse est, eam, quæ vovit Castitatem, nubere; quia tunc obstat ratio boni communis, quæ privato voventis anteferenda est. Cajet. 2. 2. q. 88. art. 12. Sot. l. 7. de Just. q. 4. art. 3. Sanch. l. cit. n. 24. Conink n. 54. Causa conservandi progeniem nobilissimi Ducatus, aut Marchionatus sufficit ad dispensationem mixtam Commutatione, non tamen meram; quia est causa merè temporalis. Navar. l. 3. tit. de Vot. conf. 32. n. 3. Henric. l. 12. de Matr. c. 3. n. 9. Comment. lit. D. Sanch. n. 25. An verò causa ad dispensandum in Voto Castitatis sufficiens sit morbus continuus, cui periti Medici judicant subveniendum esse Venereis actibus, controversia est inter DD. Sanch. n. 26. distinguit inter Votum solenne, & simplex. In solenni cum *S. Thoma*, & alijs negat; affirmat in simplici, ex ratione; quia servare hoc casu Vorum res adeo ardua est, ut meritò credendum sit velle DEUM, ut Ecclesia, benignitate sua utens, ex hac causa Votum partim relaxet, partim commutet in alia opera.

Quæritur 3. Quando tenuitas, vel defectus dotis, aut Patrimonii sufficiens causa dispensationis sit? R. Sufficiens causa est tum, quando femina vel nullam, vel adeo tenuem habet dotem, ut innupta manere debeat, vel inæquali nubere. Consequenter defectum Dotis habere dicitur 1. quæ defacto nihil habet, licet spes sit ejus acquirendæ ex successione alicujus consanguinei testati, vel intestati, aut ex Legato, quod ipsi relinquatur, si hæc spes libera consanguinei dispositione destitui potest, aut jus succedendi, quod habet, sit revocabile. Navar. conf. 19. de Rescript. in fin. Sanch. l. 8. de Matr. D. 19. n. 24. Corrad. prax. Dispens. Apost. l. 7. c. 2. n. 24. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 2. n. 2. Wiestner hic n. 84. Reiffenstuel Append. n. 87. Ratio est, tum, quia, cum ad ista nullum adhuc jus habeat, & possit voluntas hominis mutari, verè adhuc dicitur pauper, & carere Dote; tum quia Dos datur pro sustinendis oneribus Matrimonij, hæc autem statim incipiunt cum ipso contractu Matrimonij. consequenter requiritur Dos in re præsens, & non sufficit futura in spe.

2. Si Legitima, quæ filia à parentibus Jure est debita, ad constituendam Dotem competentem non sufficiat, ita, ut ad eam augendam, ut competens fieret, plus filia relinquendum foret, quàm cæteris liberis, præsertim masculis; nam etsi certa sit velle parentes eam præferre, adhuc dicitur pauper, & Dotis defectu pati. Sanch. n. 23. Reiffenstuel n. 86. cum cæteris supra; quia jus non habet, ut cæteris præferatur, sed id ex voluntate parentum pendet, qui non tenentur constituere Dotem filia cum diminutione Legitimæ, quæ cæteris Liberis de Jure competit.

3. Si bona parentum ita se habeant, ut dum ipsi superstites sunt, non possint parte bonorum, ad Dotem competentem necessariâ, se spoliare, quod ijs ad honestam, stativæque suo congruentem vitam ducendam indigeant; nam etsi bona, in quæ parentibus defunctis filia necessariò est successura, sint sufficientia ad constituendam Dotem competentem, adhuc illa dicitur pauper, & Dote carens. Henric. l. 12. de Matr. c. 3. n. 25. Sanch. l. cit. n. 25. Pont. l. 8. de Matr. c. 21. n. 23. Justis de Dispens. l. 3. c. 3. n. 44. Wiestner hic n. 84. Reiffenstuel n. 88. Ratio est, quia ut onera Matrimonij sustineantur, necesse est statim dari Dotem, quæ non statim tradita, contemnetur uxor à viro, & parè cum ea aget.

4. Si bona Patrimonij acquisiti, vel cujus acquirendi spes est, sint implicata litibus, & timeri meritò possit, ne femina, cujus causa agitur, causâ cadat, nisi viro in quarto gradu conjuncto, aut aliter impedito nubat; nam si iste sit valde necessarius ratione peritæ circa illam litem, aut alia de cau-

causa, & aliter nollet causam juvare, nisi inito Matrimonio, aliisque non impeditus deficeret, qui operam suam posset addicere, sufficiens erit ad dispensationem causa, Sanch. n. 20. Pont. n. 23. Corrad. n. 59. Wiestner n. 84. Reiffenstuel n. 84. Ratio est, quia ad pietatem spectat, faminae ita destitutae subvenire, ne bonorum jacturam patiat. Idem à fortiori dicendum, si lis solo tali Matrimonio extingueretur; tunc enim subintraret adhuc alia causa dispensandi, nempe extinctio litis, seu bonum pacis secundum dicta n. 106. & 107.

128 5. Si femina ob deformitatem, vel similem causam non potest reperire maritum dignum suo genere, nisi habeat ampliore Dotem, quam aliae similis conditionis, non laborantes eo defectu; si enim talis augmento hoc careat, verè patitur defectum Dotis, Conink D. 33. n. 47.

6. Si Dotem quidem habeat sufficientem ad nubendum pari in vicinia, vel alio loco extraneo, quae tamen non sufficiat ad nubendum pari in proprio loco originis juxta dicta n. 109, & militat pro hoc Declaratio Cardd. ibi allegata.

129 Contrà non est sufficiens dispensandi causa defectus, vel tenuitas Dotis. 1. Si Sponsa quidem sit inops, & proprium nihil habeat, habeat tamen parentes divites; nam isti filiam tenentur dotare l. fin. §. neque enim, C. de Dot. promiss. & ratio est, quia Dos succedit loco Legitimae l. un. §. videamus 11. C. de rei uxor. act. Bald. Novell. de Dot. p. 6. privil. 16. Sanch. n. 21. Corrad. n. 23. Conink n. 48. Pont. n. 23. Wiestner n. 84. Reiffenstuel n. 89. Excipitur, si constaret, nullum ex non consanguineis, qui paris conditionis cum ea femina sunt, velle eam habere uxorem, eò quòd communiter sibi persuadeant, parentes non duros sufficientem Dotem. Ratio responsionis, & exceptionis est, quia sola causa hujus Dispensationis est, ne alia femina cogatur aut manere innupta, aut nuptias se indignas contrahere: & hinc quamdiu de hoc non constat saltem morali aliquo modo, non est causa petendi Dispensationem; quando verò de eo constat, sufficiens est causa, undecunque proveniat. Conink l. cit.

130 2. Si femina habeat quidem Dotem, quae sufficiens sit, ut reperiat maritum suae conditionis, qui tamen sit conditionis multò inferioris, quam sit propinquus; qui eam vult ducere; propterea enim non obtinebit Dispensationem, ut cum hoc contrahere possit nuptias. Sanch. n. 17. Pont. n. 23. Wiestner n. 84. Reiffenstuel n. 89. Ratio est, quia tunc non agitur de damno vitapdo, sed de lucro acquirendo: quae causa est longè diversa, & insufficientior; quia Pietas longè plura suadet facere, ut avertamus proximi damnum, quam ut procuremus illius lucrum, Conink n. 47.

3. Si femina, quae Dispensationis impetrata tempore carebat Dote, antequam illa per Ordinarium expediretur, instituta est haeres, vel Legatum accepit magnae quantitatatis; nam tali casu cessavit causa Dispensationis, & sic Dispensatio ipsa corruet. Sanch. n. 27. Corrad. n. 25. Wiestner n. 84. Reiffenstuel n. 90. Excipitur, nisi Institutio, vel Legatum innotuerit primùm post jam initum Matrimonium; tunc enim valebit adhuc dispensatio, & Matrimonium. Sanch. n. 28. Corrad. n. 27. Justis c. 3. n. 68. Reiffenstuel n. 91. Ratio est, quia cum defectus Dotis fuerit allegatus, & Matrimonium contractum tempore, quo Hereditas, vel Legatum nondum fuerunt accepta, imò quo femina ista fuit incausa Juris, quod per institutionem, vel Legatum acquisivit, piè credendum est, mentem Pontificis esse pro valore Dispensationis, ne Dispensationes, & Matrimonia periculis exponantur.

Porro ad valorem Dispensationis parum refert, an ipse, qui carentem Dote competente ducere intendit, dotare illam velit, an verò alius hac cum conditione, ut cum consanguineo, vel affine, aut aliud impedimentum habente contrahat. Corrad. n. 48. ubi addit, non vitari Dispensationis Breve, etsi nubere volens in supplicatione asserat, se velle dotare, cum tamen alius id faciat; quia hoc mendacium est circa rem, quae ad dispensationem nihil confert, utpote in qua pro causa dispensationis consideratur paupertas Oratricis, non habentis Dotem competentem, & ut ei cum ista liberalitate succurratur. Et sic idem auctor fatetur se in facti contingentia pluries consultum respondisse.

Quaeritur 4. An ob quamlibet ex dictis hactenus causis, cum quolibet, super quovis Impedimento Ecclesiastico, & in quovis Gradu dispensetur? R. Negative: sed habenda est 1. ratio ipsius Impedimenti; nam quò majus est Impedimentum, eò urgentior requiritur causa. Sanch. l. 2. de Matr. D. 19. n. 7. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 2. n. 1. Justis de Dispens. l. 3. c. 1. n. 92. & seqq. Wiestner hic n. 91. Reiffenstuel Append. n. 99. Ratio perspicua est, quia quò fortius ac strictius vinculum est, eò magis urget Lex, seu Canon, ipsaque ratio prohibitionis. 2. Consideranda propinquitas Gradus in Consanguinitate, & Affinitate; nam quò propinquiori gradu conjuncti sunt Oratores, eò difficilius rursus est Dispensatio, & major requiritur causa, cum minùs deceat eorum conjunctio: 3. Attendenda est qualitas Personarum, quae secum dispensari petunt; nam ceteris paribus facilius dispensatur cum Regalibus, Ducalibus, & Principibus personis, quam cum Nobilibus; facilius cum his, quam cum divitibus, ac magis honestis personis; facilius cum his, quam cum plebeijs Sanch. n. 7. Palao n. 1. & com.

communiter alij cum S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1.

134 In gradibus Consanguinitatis lineæ rectæ Pontifex nunquam dispensat; nec in gradu primo lineæ transversæ inter fratrem, & sororem. In gradu secundo simplici, in primo, & secundo mixto, item in primo, & tertio, nec non in primo, & quarto Consanguinitatis cum Regijs, Ducibus, & verè Principibus personis dispensat etiam ex sola prærogativa personæ, prout ex multiplici experientia, & Stylo Curie patet. Ratio est, quia deficiente etiam quacunque causa, sola prærogativa Personæ Principis constituit causam publicam, ut dictum est supra n. 102.

135 Major, & urgentior causa requiritur, ut in præfatis Gradibus dispensationem obtineant personæ non Principes; nam 1. cum Personis Illustribus, & valde Nobilibus, Comitibus, Baronibus, Prænobilibus dispensare Pontifex tantum solet, quando adest una ex sequentibus causis. 1. Conservatio familiæ, ne deficiat. 2. Conservatio bonorum intra eandem familiam. 3. Excellentia insignium meritorum in Ecclesiam. 4. Evitatio gravium scandalorum. 5. Infamia mulieris nobilis, orta ex copula, vel conversatione suspecta cum consanguineo. 6. Defectus omnis Dotis. 7. Inimicitia lethales. 8. Matrimonium bona fide contractum, vel cum mala quidem, si proles jam sit ex illo concepta. 9. Causa generalis, dicta ex certis, & rationabilibus causis: ubi tamen solvenda est magna, & extraordinaria taxa pecuniaria. 10. Si ex alijs causis, quas à n. 102. retuli, plures concurrant simul; quia singula, que non profunt, simul collecta jvant arg. l. instrumenta 5. C. de Probat. Videatur Sanch. l. 2. de Matr. D. 19. Corrad. l. 7. prax. Dispens. Apost. c. 2. Justis de Dispens. l. 3. c. 1. Reiffenstuel Append. n. 111. & seqq.

136 2. Cum opulenti, nec non cum præcipuis personis alicujus loci super eodem secundo Consanguinitatis gradu dispensare subinde Pontifex solet. 1. Ob ætatem mulieris, si alia adhuc causa concurrat. 2. Propter inimicitias lethales. 3. Ob defectum Dotis, si Patruelis eam velit dotare, & ducere. 4. Ob præcedentem copulam, ut sic famæ, & honori mulieris consulatur. 5. Ob causam publicam, cui taxa extraordinaria pecuniæ, à dispensatis solvenda, est applicanda. 6. Si plures causæ ex levioribus supra recensitis concurrant. Reiffenstuel n. 121. & cit.

137 3. Plebeijs, & pauperibus in eodem secundo Consanguinitatis gradu dispensatio datur à Summo Pontifice. 1. Ob Matrimonium bona fide contractum, præsertim si jam ex illo concepta sit proles. 2. Ob Dotis defectum, quem supplere vult Patruelis, si famina nuptias cum illo ineat. 3. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Si proles ex consanguinea per incestum concepta sit, vel saltem copula habita, & patefacta: ob hanc enim causam passim conceditur Dispensatio pro foro externo, ut consanguinei in secundo gradu contrahere valeant, idque tum ob bonum proles, tum ut Oratores evadant periculum vitæ; quam ultimam rationem addendam in Supplicatione vult Justis de Dispens. l. 3. c. 1. n. 116. Et hinc Corrad. c. 3. n. 17. cit. monet, in Gradu secundo simplici, & in primo, ac secundo mixto ad contrahendum Matrimonium non dispensari, nisi raro, & ubi gravia scandala, & periculum mortis ex copula carnali forsan subsecuta, vel illius suspicione Oratoribus imminet.

4. Ad obtinendam Dispensationem<sup>138</sup> in secundo, & tertio gradu mixto pro sufficientibus habentur 1. causæ omnes, quæ sufficiunt ad dispensandum in gradu secundo simplici, aut primo mixto. 2. Ætas mulieris nondum nuptæ. 3. Angustia loci, saltem si addatur in supplicatione, quod mulier etiam extra originis locum virum habiturus non invenerit. 4. Defectus Dotis, quam Consanguineus, qui nuptias illius intendit, augere vult. 5. Extinctio litis magni momenti, aut inimicitiarum gravium. 6. Causa generalis, dicta ex certis, & rationabilibus causis, dummodo Oratores sint de honesta familia, quales omnes censentur esse, qui nullâ laborant notâ turpitudinis. 7. Quævis alia causa rationabilis, etiam levior ex allegatis à n. 102. teste Corrad. l. 7. prax. Dispens. Apost. l. 7. c. 3. n. 17. Justis de Dispens. l. 3. c. 1. n. 115. Reiffenstuel Append. n. 123.

5. Super tertio gradu simplici, item<sup>139</sup> super tertio, & quarto mixto, & multo magis super quarto simplici dispensare Papa cum quovis solet ob quamlibet causam ex recensitis à n. 102. vel aliam rationabilem. Corrad. l. 3. cit. n. 17. Justis n. 115. cit. Reiffenstuel n. 124. & alij communiter, teste continua experientia; & merito; nam hoc ipso, quod Consanguinitas in remotioribus gradibus minus forte constituat vinculum, causam dispensandi minorem exigit.

Quæritur 5. Ex quibus causis, cum<sup>140</sup> quibus personis, & in quo gradu dispensare possit, & soleat Pontifex super Impedimento Affinitatis? R. Etsi Pontifex in quocunque gradu dispensare possit, cum, ut Tit. 14. à n. 93. ostendi, in nullo gradu Affinitatis Matrimonium Jure naturali sit irritum; tamen in quibusdam gradibus, & casibus dispensat facilius, in alijs difficilius. Hinc ante omnia distinguendum est, an Affinitas orta sit ex copula licita, vel ex illicita.

In Affinitate orta ex copula licita quoad<sup>141</sup> primum gradum lineæ rectæ, ut vitricus ducere possit privignam, aut privignus novercam, nunquam dispensat Pontifex, ob naturalem indecentiam conjugij inter hujusmodi

Rbb

modi

modi personas initi, & defectum causæ conjunctionem hanc honestantis. *In primo gradu lineæ transverse*, ut quis ducere possit sororem uxoris suæ defunctæ, cum Personis Principibus sæpius, cum Nobilibus, & Illustribus non nisi raro, cum reliquis rarissime dispensatur in foro externo. *In secundo gradu* cum principalioribus personis alicujus loci, item cum divitibus, aut etiam quibusvis alijs de honesta familia dispensari solet intuitu universalis illius causæ, dictæ ex certis, & rationabilibus causis, auctâ tamen taxâ pecuniariâ pro bono communi applicanda. Cum taxa communi in eo gradu dispensari cum quovis solet 1. si puella Dotem non habeat. 2. Si cum ea contractam jam bonâ fide sit Matrimonium. 3. Si proles ex ea suscepta. 4. Si copula inita. 5. Si ex separatione timeantur scandala. 6. Et universim ex omnibus illis causis, ex quibus dispensari solet cum consanguineis in gradu secundo. Minores causæ sufficiunt ad dispensandum in gradu Affinitatis tertio, & quarto. Reiffenstuel *Append. n. 125. § seqq.*

<sup>142</sup> *In Affinitate orta ex copula illicitâ* quoad secundum gradum Pontifex dispensat cum quovis ex quavis rationabili causa, prout ab experientia patet, & ratio probat, quia hic gradus respectu hujus Impedimenti est ultimus, & remotissimus. Ex eadem causa Papa pro foro interno dispensare solet ante, & post Matrimonium contractum etiam in gradu primo. Genuens. *Prax. Cur. Archiep. Neap. c. 20. n. 9. in addit. Justis de Dispensat. l. 2. c. 7. n. 49.* Reiffenstuel *n. 129.* Et id procedit, etiamsi sit gradus primus Affinitatis ex copula illicita ortæ, ita, ut quis ducere possit filiam, cujus matrem prius fornicariæ cognovit, vel matrem, cujus filia prius carnaliter, & illicite erat commixtus, prout teste Reiffenstuel *n. 130.* habet notorius Stylus Pœnitentiariæ. In foro externo, ut dispensatio obtineatur super primo gradu Affinitatis, ex copula illicita ortæ, ut vult Justis *l. 3. c. 1. n. 116.* non sufficit allegare infamiam mulieris, ex copula pro palata exsurgentem, & gravia scandala, nisi dispensetur, sed addi debet, utrique Oratori alias etiam imminere vitæ periculum. Excipit P. Reiffenstuel *n. 128.* si pro verè Nobilibus sollicitetur Dispensatio; nam pro his absque hoc addito obtineri dispensatio potest ex ijs causis, ob quas dispensari potest, & solet super secundo Consanguinitatis gradu.

<sup>143</sup> *Queritur 6.* Cum quibus, & ex qua causa dispensare Pontifex possit, & soleat super alijs Impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus Matrimonium? In considerationem maximè veniunt Impedimentum publicæ Honestatis ortum ex sponsalibus de futuro, Cognationis Spiritualis, Criminis, Ordinis, & Voti solennis.

*In Impedimento publicæ Honestatis ex Sponsalibus de futuro* dispensare Pontifex potest, & solet pro foro utroque cum quovis ex quavis rationabili causa; quia est unum ex minoribus Impedimentis, & propterea dispensatio super illo committi solet etiam Legatis Sedis Apostolicæ, & Episcopis ab Urbe longè distantibus, ut dictum est *suprà n. 73.*

*In Cognatione Spiritualis* distinctio est<sup>144</sup> adhibenda; nam si orta illa sit ex *Comparentate*, facile Dispensatio impetratur, modò subsit justa causa. Si verò proveniat ex *Paternitate* dispensatio vel nunquam obtinetur, vel difficillimè, & non nisi ex urgentissima causa, qualis v. g. foret periculum vitæ Oratoribus ob carnalem eorum commixtionem imminens. Sanch. *l. 8. de Matr. D. 24. n. 15.* Corrad. *l. 2. c. 8. n. 15.* Vinc. de Just. de *Dispensat. l. 2. c. 5. à n. 72.* Reiffenstuel *Append. n. 136.* Videantur dicta Tit. *11. n. 57.*

*In Impedimento Criminis* considerandum est, an illud ortum sit ex eo, quòd alteruter machinatus sit in mortem conjugis defuncti, an verò solum ex adulterio sine machinatione mortis. Si *primò*, & crimen istud sit publicum, pro foro externo nunquam dispensat Pontifex, ne alijs deus anxia machinandi in mortem; si verò sit occultum, dispensatur quidem super eo in Sacra Pœnitentiariâ, tamen non nisi difficillimè, & urgentissima de causa. Corrad. *l. 2. c. 9.* Vinc. de Just. *l. 2. c. 16. à n. 60.* Reiffenstuel *n. 132. § 139.* Si *secundum*, in eo pro foro externo dispensat Pontifex ex causa rationabili v. g. si Oratrix diffamata, & innupta maneret, si scandala verisimiliter orientur, & maximè, si Matrimonium jun sit contractum. Pro foro interno, si crimen istud occultum sit, recurrendum est ad Sacram Pœnitentiariam, quæ dispensationem ordinariè committit Confessario per Oratores eligendo. Videantur dicta Tit. *7. à n. 65.*

*In Impedimento Ordinis Sacri, & Pro fessionis Religiosæ* ad contrahendum Matrimonium dispensatio à Pontifice dari non solet sine causa utilitatis publicæ. Sanch. *l. 8. de Matr. D. 8. n. 2. § 8.* Corrad. *l. 2. c. 10. n. 29.* Vinc. de Just. *l. 3. c. 1. n. 107.* Reiffenstuel *n. 141.* Causas hujusmodi aliquas adducit Gratian. *Discept. for. c. 457. usque ad n. 22.* & alij, juxta quos sufficiens dispensandi causa adesse censetur, si Matrimonium hujusmodi Impedimento ligati necessarium sit: 1. Pro conservatione alicujus Regni, quia scilicet dispensandus est unicuique illius hæres. 2. Pro conversione Regni, aut Provinciæ ad fidem, vel conservatione illius in fide. 3. Pro extinguendo, vel avertendo gravi bello, seu pro acquirenda, vel conservanda pace Regni, vel Provinciæ. 4. Pro conservatione Familiæ valde Nobilis, ne absque

que hære deficiat; quia conservatio Familiarum hujusmodi etiam pro bono communi servit.

In Voto simplici Castitatis, & Religionis, quod est impedimentum tantum impediens, non requiritur causa communis utilitatis, sed potest, & solet Papa dispensare etiam ex alijs causis privatis.

Quæritur 7. Utrum eadem causæ, ob quas ex hæcenus dictis dispensare potest, & solet Pontifex, sufficiant, ut etiam Episcopi, vel alij in casibus, in quibus dispensandi facultatem habent, dispensare in Impedimento Matrimonij possint? R. Distinguendo inter casus, in quibus dispensare Episcopus potest Jure Ordinario, & inter eos, in quibus facultatem dispensandi habet ex speciali indulto, vel quasi privilegio.

In casibus, in quibus Episcopus dispensare potest super Impedimento dirimente occulto pro foro conscientie, non sufficit quævis causa ex allegatis à n. 102. sed requiritur magna, seu gravis, simulque urgens causa, & necessitas, prout patet ex dictis à n. 79. In ijs verò, in quibus super Impedimento Matrimonij dirimente dispensare potest ex speciali facultate, & privilegio, requiruntur, & sufficiunt eadem causæ, ob quas potest, & solet dispensare Papa, Reiffenstuel Append. n. 144. Ratio est, quia hoc ipso, quod alicui Pontifex per privilegium, aut facultatem specialem communicet potestatem dispensandi super certis Impedimentis, quam ipse habet, præsumitur velle, ut is eam potestate utatur ex omni & sola causa illa, ob quam ipse dispensare potest, & solet; nec justè præsumi potest concedere potestatem dispensandi ex causa, ex qua ipse dispensare non solet, utpote eam insufficientem agnoscens.

Ex quo sequitur, Episcopus Germanie vi specialis facultatis, ipsis juxta dicta n. 73. concedi solite, ex causis à n. 102. allegatis dispensare posse. 1. Cum quovis paupere super tertio, & quarto simplici, vel mixto gradu Consanguinitatis, & Affinitatis. 2. Cum quovis etiam non paupere super Impedimento publicæ Honestatis. 3. Super impedimento criminis, neutro contrahentium machinante in mortem conjugis defuncti. 4. Super Impedimento Cognationis Spirituales, præter levantem, & levatum. Ratio est, quia sola facultas dispensandi super tertio, & quarto gradu restringitur ad pauperes; reliquæ autem facultates conceduntur universaliter, cons. etiam universaliter de quavis persona intelligendæ sunt. Reiffenstuel n. 145.

Quæritur 8. An Dispensatio, obtenta à Papa ad contrahendum Matrimonium inter Consanguineos in gradu prohibito, valeat, si in ea causa falsa expressa sit? Rationem dubitandi facit textus c. quia circa 6. de consang. & affinit. ubi Innocentius III. R. P. Schmalzgrüber L. IV.

Abfaloni Lundenfi Archiepiscopo, de valore Dispensationis hujusmodi interroganti, rescribens, *Disimulare*, inquit, *poteris, ut remaneant (conjuges) in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere.*

Sed respondendum est distinguendo, an causa falsò expressa fuerit impulsiva tantum, an verò motiva, & finalis. Si primum, cum ista ad dispensandum non moveat, sed juvet solum, & faciat, ut facilius dispensetur, ejus falsitas Dispensationem non vitiat. Si secundum, ex communi, & certa sententia, ejus falsitate, quamvis per simplicitatem, vel ignorantiam commissa sit, Dispensatio redditur nulla. Et hoc procedit, etiam si in Litteris Apostolicis non exprimitur Clausula, si ita est, si preces veritate nitantur. Sc. quia clausulæ istiusmodi semper subintelliguntur. Neque obest, quod Pontifex in Impedimento Juris Ecclesiastici etiam sine causa dispensare possit; quia in dubio non præsumitur istud facere, nisi ex causa expressa.

Intelligendum autem hoc est, quando una duntaxat causa motiva, seu finalis expressa est; nam si plures allegatæ sint, & una vera, altera falsa sit, distinguendum est, an quælibet seorsim sumpta sufficiens fuerit ad impetrandam Dispensationem, an verò non nisi simul sumptæ. Si primum, subsistet adhuc Dispensatio; quia quando plura non necessaria narrantur, resolvitur copulativa in disjunctivam arg. c. cum jam dudum 18. de prebend. at cum disjunctivè narrantur causæ, ad valorem Rescripti sufficit unam esse veram c. inter ceteras 4. de Rescript. & ibi Glossa, & DD. communiter. Si secundum, Dispensatio corrui; quia tali casu rescribentis, vel dispensantis consensus deest.

Porro an causa allegata sit impulsiva tantum, an verò motiva, & finalis, ex dictis Libr. 1. Tit. 3. n. 18. ex sequentibus colligitur Regulis. 1. Si una tantum allegata est causa, illa finalis, non impulsiva cenferi debet: cons. si falsa illa sit, Dispensatio corruiet. 2. Si plures allegatæ sint causæ, & ex verbis Rescripti non satis constet, an utraque, vel quænam ex illis finalis, aut impulsiva sit, in consilium adducendæ sunt circumstantiæ Rescripti, & maxime stylus Curie, & consuetudo Principis; nam si hoc considerato, sufficiant singulæ, quæ allegatæ sunt, singulæ motivæ erunt: contra, si tantum sufficiat una, altera, vel aliæ se solis non sufficiant. 3. Quod si omnibus consideratis, remaneat dubium ex utraque parte æquale, benignius sentiunt, qui tali casu causam falsò expressam, modò non sit unicè allegata, pro impulsiva haberi volunt ex generali principio, quòd in dubio præsumendum sit pro valore actus, si is in nullius præjudicium cedat.

Bbb 2

Ad

153 *Ad Rationem dubitandi duplex est expositio cit. textus. Prima est Gloss. fin. c. 6. cit. Hofst. ibid. V. dissimulare, Joan. Andr. n. 3. Abb. n. 8. Alex. de Nevo n. 12. Canif. n. 3. Fagnan. n. 3. & aliorum præsertim antiquiorum, qui textum istum intelligunt, ut existiment, per dissimulationem illam Pontificis fuisse inductam Dispensationem tacitam in Impedimento, quo copulati adhuc laborabant; nam etsi dissimulatio Principis, factum non punientis, dispensationem non inducat c. cum jam dudum cit., dispensare tamen intelligitur, quando super facto consultus respondet *Toleramus*, aut *Toleretur*. Verùm hæc Expositio alijs DD. plerisque displicet; idque meritò ex duplici capite. 1. Quia Pontifex eo loco solùm dicit, quòd Episcopus dissimulare possit, ut tales remaneant in Matrimonio, per Dispensationem subrepticam contracto, si nequeant separari sine scandalo. ergo Papa hoc casu non dispensat; nam si dispensasset, dissimulari id potuisset, licet separatio cum scandalo non fuisset conjuncta. 2. Etsi dissimulatio haberet vim dispensationis, tamen, ut veri conjuges fierent, oportebat illos renovato consensu denuo contrahere Matrimonium, utpote quorum consensus prior fuit invalidus; neque enim Dispensatio, etiam Pontificia, vim habet convalidandi Matrimonium, quod priùs ex defectu consensùs fuit irritum: multo autem minùs efficere tolerantia Papæ dissimulantis potest, ut honestetur usus Matrimonij, quod constat esse invalidum.*

154 *Quare meliùs Navar. in can. si quis autem 4. dist. 7. de penit. à n. 67. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 10. n. 15. Cordub. Summ. q. 189. p. 1. Sanch. l. 2. de Matr. D. 38. n. 12. Gutier. de Matr. c. 48. n. 1. Perez D. 45. sect. 7. n. 15. Barbof. in c. quia circa cit. n. 5. Gonzal. ibid. n. 2. Pirhing. tit. de Consang. n. 54. Wiestner hic n. 61. & alij præsertim RR. putant dissimulationem à Pontifice in casu c. cit. permissam esse, quòd existimaverit, consultius esse relinqui conjuges putativos in bona fide; in qua Matrimonium contraxerunt, & adhuc persistebant, quàm separatione illorum occasionem præberi publico fidelium scandalo: & videtur omnino responsio hæc præferenda priori, tum quia magis videtur congruere Litteræ ipsius textus, in quo de Dispensatione nihil agitur, vel exprimitur, sed tantùm dissimulandum esse dicitur, ut illi remaneant in priori Matrimonio; tum verò quia scandali vitandi causâ multa permitti possunt, quæ aliàs non conceduntur, multa contra omitti, quæ fieri deberent: in qua re vel maximè multitudinis haberi ratio debet.*

155 *Quæritur 9. An, & qualis Error vitiet, aut invalidam reddat Dispensationem? Potest Error multipliciter contingere. 1. In Nomine, & Cognomine Oratorum, si v. g.*

qui reipsa appellatur Joannes, in Litteris Dispensatorij vocetur Andreas. 2. In loco Oratorum, præsertim Diocesis, ut si dicantur Oratores esse Diocesis Augultanæ, cum sint Eustadianæ. 3. In Impedimento, vel gradu illius, ut si Impedimentum Affinitatis ponatur pro Confanguinitate, gradus remotior pro propinquiore, aut vicilim.

*Ad 1. Error nominis juxta Flam. de resen. l. 11. q. 6. n. 53. Sanchez l. 8. de Matr. D. 25. n. 37. Vinc. de Justis l. 3. de Dispens. c. 4. n. 54. & plures alios Dispensationem Matrimoniam non vitiat: quod colligunt arg. l. si in nomine 4. C. de Testam. ubi Gordianus Imp. Si in nomine, inquit, vel prænominis, seu cognominis, seu agnominis testator erraverit, nec tamen, de quo senserit, incertum sit, error hujusmodi nihil officit veritati. Et hoc verum est, spectato Jure communi, Verùm de Stylo, & praxi Curie Romanæ id non procedit, sed per hujusmodi Erroris nominis Dispensatio vitatur, ita ut de novo fieri debeat supplicatio, & novæ litteræ expediri, vel saltem præviâ novâ signaturâ supplicationis, cum vera nominis expressione, ipsæ jam expeditæ litteræ ipsorum Officialium auctoritate corrigi, prout allegato testimonio omnium Curialium, monet Corrad. Prax. Dispens. Apost. l. 7. c. 5. n. 4. & seq. ut scilicet evitarentur multæ fraudes, quæ ob mutationem nominis sub colore erroris intervenire possent. Excipit idem Corrad. n. 8. si in aliquo Dispensationis Rescripto reperiretur verisimilis error, consistens præcisè in mutatione alicujus litteræ, aut Syllabæ, ut si diceretur Antonius pro Antonino, Bernardus pro Bernardino; vel si qui appellatur Franciscus Antonius, uno nomine omisso, diceretur Franciscus; nam his duobus casibus putat dispensationem non vitari.*

*Ad 2. Distinguendum est, an error contigerit in nomine Diocesis, an verò solùm circa Patriam Oratorum. Si in nomine Diocesis contingat error, invalida redditur Dispensatio, ut notant Sanch. l. 8. de Matr. D. 21. n. 39. Corrad. c. 5. cit. n. 21. Vinc. de Just. l. 1. c. 4. à n. 66. & teste P. Reiffenstuel Append. n. 213. cõmunis ob notorium Stylum Curie. Ratio est, quia eo casu nullus Ordinarius posset exequi Litteras: non proprius Oratorum; quia eidem, ut supponitur, non fuit data commissio: nec etiam ille, cui per errorem data est; quia est contra intentionem dantis, qui non nisi Ordinario impetrantium delegare intendit, conformiter ad Conc. Trid. sess. 22. c. 5. de reform. ibi, Committantur Ordinarijs illorum, qui eas impetraverint. Si verò circa Patriam Oratorum contingat error, regulariter Litteræ Dispensationis, ejusmodi errorem continentes, non vitantur. Corrad. l. cit. à n. 30. Vinc. de Just. à n. 59. Reiffenstuel n. 214. quia expressio patriæ, nisi sit Diocesis,*

sis, omnino non est necessaria; conf. error circa illam nihil importat. Excipitur, nisi petatur Dispensatio ob angustiam loci, vel ob locum ad litus maris; quia tunc locus denominatus est causa finalis, conf. vitatur Rescriptum.

457 *Ad 3.* Interest, an error contingat in genere Impedimenti, an tantum in numero graduum. Si in genere Impedimenti, ponendo Affinitatem pro Consanguinitate, aut vicissim, vitatur Dispensatio; quia hæc est strictæ interpretationis, & non extenditur ultra expressa. Si in numero gradus, distinguendum est, an remotior ponatur pro propinquiore, an verò propinquior pro remotiore, Si primum, iterum vitatur Dispensatio; quia in remotiore facilius dispensatur, & fortassis non dispensasset Pontifex, si allegatus fuisset gradus propinquior, quod fortè causæ allegatæ ad dispensandum in eo non fuissent sufficientes. Si secundum, Dispensatio valet, ut rectè Sanch. l. 8. de Matr. D. 24. n. 17. Vincent. de Just. l. 1. c. 4. n. 131. Pont. l. 8. c. 17. §. 5. n. 31. Conink D. 33. n. 79. Pal. tr. 28. D. 4. p. ult. §. 3. n. 1. Engl. hic §. 3. n. 10. Reiffenstuel Append. n. 216. quia tunc Pontifex dispensando in tertio, censetur etiam dispensasse in quarto gradu, cum gradus tertius quartum comprehendat. Debent tamen esse gradus ejusdem speciei: & hinc non valet Dispensatio, quæ per errorem data est in tertio gradu Affinitatis, cum Oratores inter se conjuncti sint in quarto Consanguinitatis. Gutier. de Matr. c. 124. n. 9.

458 *Quæritur 10.* Quo tempore necesse sit veram esse Dispensationis causam? Quadruplex tempus est, de quo dubitari potest, an causæ in precibus narratæ debeant esse veræ. Primum est, quo Oratores Supplicationis litteras mittunt Romam. 2. Quo Dispensationis litteræ Romæ expediuntur. 3. Quo istas sibi exhibitas Ordinarius, vel Confessarius exequitur, & cum Oratoribus actu dispensat. 4. Quo isti, post factam sibi Dispensationis gratiam, conjugium ineunt.

459 *Conveniunt satis DD.* 1. non esse necessarium, ut causa vera sit tempore, quo Oratores Supplicationis litteras mittunt Romam. Ita Sanch. l. 8. de Matr. D. 30. n. 2. Perez D. 45. sect. 6. n. 2. Wiestner hic n. 93. Reiffenstuel Append. n. 218. & teste Sanch. l. cit. DD. ferè omnes, dissentiente tamen Vincent. de Just. l. 1. de Dispens. c. 6. n. 299. & 300. cum nonnullis alijs. Colligitur ex c. quia circa 6. de Consang. & c. si eo tempore 9. de Rescript. in 6. juxta quos textus non tempus antecedens Dispensationem, sed ipsius concessionis Pontificiæ attenditur. Et ad hoc tempus referri etiam debet Clausula, in Dispensationibus addi solita, Si preces veritate nitantur. Ratio est, quia veritas precum ad id solum requiritur,

ne Dispensatio à rectitudine deficiens sit dissipatio. talis autem jam non est, quando causa, in supplicatione allata, tempore concessionis Pontificiæ vera est. Neque obstat textus c. super litteris 20. de Rescript. ubi Innocentius III. statuit, eos, qui falsitatem per malitiam expriment, in suæ perverſitatis pœnam nullum ex Apostolicis Litteris commodum consequi; hoc enim verum duntaxat est, quando causa etiam tempore concessionis falsa est. Ex quo sequitur, falsitatem causæ eò usque esse extrinsecam, & ideo per illam Rescriptum Dispensationis non vitari.

*Conveniunt 2.* Si Litteræ Apostolicæ, 160 ut Stylo veteri fiebat, contineant gratiam jam factam, necessarium esse, ut causa vera sit tempore, quo Dispensationis Litteræ expediuntur Romæ. Proceditque hoc, etsi causa ista antè extiterit, vel post existat; nisi enim subsistat etiam eo tempore, quo expediuntur Litteræ, gratia non subsistit. Ita Host. in c. quia circa cit. V. ingressa, Joan. Andr. ibid. n. 3. Abb. n. 4. Alex. de Nevo n. 4. Gutier. qq. Canon. l. 2. c. 15. n. 131. Sanch. l. 8. de Matr. D. 30. n. 4. Perez D. 45. sect. 6. n. 3. Barbof. in c. quia circa cit. n. 2. Fagnan. ibid. n. 2. Gonzal. n. 4. Honor. tit. de Consang. n. 20. Pirh. ibid. n. 59. Wiestner hic n. 94. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 59. & colligitur ex c. quia circa, & c. si eo tempore cit. Ratio est, quia Dispensationis gratia fit cum expressa, vel saltem subintellecta clausula, Si preces veritate nitantur. igitur Dispensationis sensus erit: Concedo gratiam, si vera sit causa, pro impetratione gratiæ allegata: conf. si non sit actu vera, licet vera fuerit, Dispensatio ex defectu consensûs erit irrita. Dixi, Si contineant gratiam jam factam; nam si, ut moderno Stylo solet, teste Corrad. prax. dispens. Apost. l. 7. c. 6. n. 25. Litteræ Apostolicæ contineant gratiam faciendam, sive mandatum duntaxat dispensandi, sufficiet, si causa, pro impetranda dispensatione allegata, vera sit tempore actualis Dispensationis, ut cum eodem Corrado rectè advertit P. Reiffenstuel Append. n. 220.

*Conveniunt 3.* Veritatem causæ per-161 severare, vel saltem existere debere tempore, quo fit executio Litterarum Dispensatarum ab Ordinario, vel Confessario, & vi illarum actu ab his conceditur Dispensatio. Ita Sanch. D. 30. cit. n. 12. Suar. l. 6. de LL. c. 20. n. 13. Pont. l. 8. c. 20. n. 3. Corrad. c. 6. cit. n. 24. Vinc. de Just. l. 1. c. 6. n. 285. Perez l. cit. n. 4. Wiestner hic n. 95. Reiffenstuel n. 221. Ratio est, quia hoc casu Litteræ Pontificiæ non continent ipsam Dispensationem, sed tantum Mandatum de dispensando, & quidem conditionatum, Si ita est, si preces veritate nitantur. Igitur, ut Dispensatio ab Ordinario, vel Confessario, vi talis mandati facta, sit valida, necesse est,

Bbb 3

ut conditio illa impleta sit: non autem censetur impleta, quando causa finalis tota tempore Dispensationis actualis cessat; quia jam non est ita, sicut Pontifex voluit, ut sit, pro validè dispensando. *Conf.* Quia Pontifex Ordinario, vel Confessario dedit tantum facultatem dandi Dispensationem justam, non verò injustam, atqui Dispensatio, in quo tota causa finalis cessat, esset injusta, utpote desinita legitimitate causæ, ergo &c.

<sup>162</sup> *Conveniunt* 4. Quando Gratia non facta, sed faciendæ est, sufficere, si causa motiva verificetur tempore, quo Delegatus actu dispensat, etsi tempore, quo sollicitata, & Romæ impetrata est gratia dispensationis, causa illa nullatenus extiterit, nec vera fuerit. Ita Garc. p. 6. de Benef. c. 2. n. 283. Corrad. n. 24. § 25. cit. Reiffenstuel n. 223. nam tunc jam censetur impleta conditio, sub qua Pontifex potestatem dispensandi delegat; mandat enim Delegato, ut dispense, si invenerit, rem defacto se ita habere, prout proponitur in precibus: quod in hac specie facti verum est. *Ex quo sequitur*, posse Ordinarium, vel quemcumque alium Delegatum vi Litterarum Pontificiarum dispensare cum eo, qui has impetravit ex causa paupertatis, si tempore, quo Dispensatio datur, verè pauper sit, licet antea tempore Supplicationis, vel expeditionis Litterarum talis non fuerit. *Contrà* non potest dispensare in sequentibus casibus. 1. Si petita fuit Dispensatio ex defectu Dotis, & antequam Delegatus dispense, puella, quæ antea Dote caruit, eam donatione, hæreditate, vel alia viâ acquirat. 2. Si petita fuit Dispensatio ex causa litis super re magni momenti, & ante Dispensationem à Delegato factam lis illa plenè sit terminata. 3. Si petita fuit Dispensatio ob angustiam loci, & ante executionem à Delegato factam mulierem pro Matrimonio expectat vir æqualis cum ipsa conditionis. Reiffenstuel n. 222.

<sup>163</sup> *Difficultas* est, utrum causa, pro impetranda Dispensatione allegata in Supplicatione, verificari debeat etiam illo tempore, quo Oratores post factam sibi gratiam Dispensationis, eam utuntur contrahendo Matrimonium? Sanch. l. 8. de Matr. D. 30. n. 14. & Conink D. 33. n. 94. putant illam fore invalidam, si eo tempore causa non subsistat: quod probant. 1. Quia cessante causa cessat effectus c. cum cessante 60. de Appell. igitur si cesset causa finalis, ob quam concessa est Dispensatio, cessabit, & revocata censetur ipsa Dispensatio. 2. Paria sunt, nullam ab initio fuisse causam; & fuisse aliquam, sed illam desisse; nam etiam quando ab initio ex causa promissum est, si dein causa illa finita est, aut non secuta, conditioni est locus, ut dicitur l. est § bec 1. §. sive 2. ff. de condiç. fin. caus. sed si ab initio nulla fuisset causa, Dispensatio non valeret; ergo nec valebit, si illa deinde ces-

set. 3. *Actus agentium non operantur ultra intentionem illorum* arg. c. fin. de Præbend. atqui dispensans non censetur dispensasse, nisi sub hac conditione saltem tacitè intellecta, dummodo causa permaneat; nam alioquin male dispensasset, si voluisset dispensationem suam extendi ad eum casum, quo causa profus cessaret. 4. Dispensatio comedendi carnes in Quadragesima propter specialem infirmitatem cessat, cessante postmodum infirmitate; ergo etiam cessabit dispensatio. 5. Privilegium Patri concessum substituendi filio furioso cessat, filio sanæ mentis effecto, ut patet ex l. ex facto 43. pr. ff. de substit. vulg. ex ratione; quia iniquum incipit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus; auferret enim testamenti factionem hominis sanæ mentis.

Sed his non obstantibus, probabilius<sup>164</sup> est, Dispensationis gratiam factam in Impedimento non cessare, vel finiri, etsi causa post eam indultam ante Matrimonium à dispensatis contractum cesset existere. Ita Sylv. V. Dispensatio q. 11. Suar. l. 6. de LL. c. 20. n. 15. Gutier. de matr. c. 120. n. 2. v. § autem in fin. Pont. l. 8. c. 22. n. 4. Vincent. de Just. l. 3. de Dispens. c. 1. n. 82. Perez D. 45. sect. 6. n. 6. Gobat tr. 9. n. 677. Wiestner hic n. 96. Reiffenstuel append. n. 27. Magnif. P. Schmier p. 3. de matr. c. 1. n. 60. Ratio est, quia post factam à Delegato executionem, seu actuale Dispensationem, gratia Dispensationis jam est perfecta, & vinculum, seu impedimentum absolute sublatum; atqui Impedimentum, quod semel, legitime facta Dispensatione, sublatum est, non amplius redit, sed extinguitur ipso actu dispensationis factæ arg. c. ex tua 9. de fil. Presby. junct. Gloss. ibid. V. irritari, & Reg. 73. in 6. ibi. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

Neque obstant Argumenta contraria.<sup>165</sup> *Ad 1.* Regula, quod cessante causa, cesset effectus, procedit, quando effectus necdum plenè perfectus, & consummatus est: secus est, quando est plenè perfectus, ut in proposito, ubi per præviam Dispensationem vinculum Impedimenti Matrimonialis est omnino sublatum. *Ad 2.* Conditio sine causa locus est, quando promissum est ex causa, quæ dein desijt; quia promittens intentionem suam alligavit non solum existentia, sed perseverantia conditionis: quod in casu præsentis non fit. *Ad 3.* Conditio si ita est, si preces veritate nitantur, solum refertur ad tempus Dispensationis concedendæ, unde si res ita se habeat tempore, quo concessa est Dispensatio, vinculum Impedimenti absolute solvitur. *Ad 4.* sicut obligatio abstinendi à carnibus, ita etiam Dispensatio, ob infirmitatem ad his vescendum concessa, successiva, & virtute multiplex est pro numero die-



dierum Quadragesimæ, quorum singulis cum virtualiter singulæ Dispensationes respondeant, singulæ exigunt justam causam, ut adeo mirum non sit, si causa respectu posteriorum cum tempore cesseret, etiam respectu eorum Dispensationem cessare. Secus est in Dispensatione super impedimento; quia hæc unica, & individua est, atque ad unum, & indivisibilem effectum tota simul conceditur, ita ut, si causa tempore concessionis existat, tota consummatur, & consequatur effectum suum, sive ablationem Impedimenti. Ad 5, Substitutio illa Exemplaris est, quæ hujus naturæ est, ut si furiosus, vel mente captus sanitatem ita recuperaverit, ut ea stabilis, vel saltem ad notabile tempus duratura sit, expiret §. qua ratione 1. Inst. de pupill. substit. & l. humanitatis 9. c. de impuber. & alijs substit. & ratio clara est; quia jam potest facere sibi testamentum, ob cujus potentie defectum unice inducta est hæc substitutio.

Quæritur 11. An valida sit dispensatio facta ex causa, quam Orator fideliter exposuit, & dispensans bona fide, & rationabiliter putavit esse justam, & sufficientem, licet revera esset insufficientis? Pontius l. 8. de Matr. c. 14. n. 8. & Palao tr. 3. D. 6. p. 8. §. 2. n. 5. existimant esse invalidam, idque ex duplici Argumento. 1. Quia aliàs sequeretur, etiam Matrimonium fore validum, quod à Sponsis in gradu prohibito initum est, quia bona fide putabant, dispensatione sibi opus non esse. 2. Quia allegantes, Superiorem sine legitima causa dispensasse, audiuntur in Romana Curia, licet ille bona fide existimavit, eam esse legitimam.

Sed dicendum, ejusmodi Dispensationem probabilius esse validam, Ita Azor p. 1. l. 7. c. 29. q. 6. Thom. Sanch. l. 8. de Matr. D. 17. n. 8. Joan. Sanch. select. D. 54. n. 39. Perez D. 45. sect. 1. n. 3. Wiestner hic n. 97. Ratio est 1. quia non est verisimile, quod alia sit mens Summi Pontificis circa Leges suas, quam sit DEI circa suas, atqui DEUS ratam habet Dispensationem circa Leges suas, in quibus dispensandi facultatem concessit homini, modò iste dispense ex causa, quam rationabiliter judicat esse legitimam; ergo & Pontifex. 2. Hujusmodi Dispensationes subsistere petit legitima Ecclesie gubernatio, ut fidelium obvietur scrupulis, eorumque conscientie tranquilluntur. 3. Etiam alia, quæ à Prælatibus bona fide, & prudenter gesta sunt, firmitatis robore non destituuntur, nec facile infringuntur.

Ad Argumenta contraria non est difficilis responsio. Ad 1, negatur paritas; nam actus, à privatis bona fide gestos, valere non exposcit recta Ecclesie, & fidelium gubernatio, cum eorum nullitas non sit obnoxia incommodis, quæ secum trahit nullitas eorum, quæ à Prælatibus bona fide, & debita circumspectione geruntur. Ad 2, allegantes, Superiorem sine legitima causa dispensasse, ideo audiuntur, quia dubium est, an is prævia cognitione causæ, & debita circumspectione processerit dispensando. Accedit, quia in Curia Apostolica peti, & impetrari sæpe Dispensationes solent, non ob præcisam earum necessitatem, sed ex superabundantia ad majorem securitatem hominum scrupulorum, & plenè tranquillandis eorum conscientias, ut rectè observat Perez l. cit. n. 4. in fin. Wiestner n. 98.

## §. VI.

De exprimendis in Litteris, quibus impetratur Dispensatio super Impedimento Matrimoniali.

## S U M M A R I U M.

169. Dispensatio super Impedimento subreptitia redditur reticentiæ eorum, quæ de Jure, vel consuetudine, aut stylo Curie Romano exprimi debent.
170. Debet autem exprimi I. Nomen, & Cognomen Oratorum.
171. II. Nomen Diocesis, ex qua orti, vel oriundi sunt.
172. III. Causa movens ad Dispensationem petendam.
173. IV. Genus Impedimenti, quo laborant.
174. 175. V. Si plura illa sint, exprimi debent omnia.
176. 177. 178. 179. VI. Et quidem omnia in eadem Supplicatione.
180. 181. 182. Exprimenda, cum dispensatio petitur ad perseverandam in Matrimonio jam contracto.
183. 184. 185. An in Supplicatione pro dispensatione secunda mentio fieri debeat primæ?
186. 187. 188. An necessarium sit exprimere, si dispensatio jam semel est petita, sed negata.
189. In Supplicatione pro dispensatione in Consanguinitate exprimi debet I. Gradus, quo Oratores conjuncti sunt.
190. &c. II. Modus Consanguinitatis, an in gradu equali, vel inequali &c.
195. &c. III. Si pro causa allegata copula, exprimendum est, an habita illa fuerit specie dispensationis facilius obrinenda?
199. Quando petitur dispensatio super Impedimento Affinitatis, exprimi I. debet Gradus illius.
200. II. Linea.

201. III. An proveniat ex copula licita, vel illicita.  
 202. IV. An preter eam obset adhuc aliud impedimentum.  
 203. V. An cum pluribus ejusdem semine consanguineis sit habita copula.  
 204. VI. An Matrimonium cum tali Affine contractum &c.  
 205, 206. Exprimenda in Supplicatione Dispen-

169 Sicut Obreptitiam Dispensationem facit falsitas Causa, in supplicatione expressa, ita Subreptitiam eandem reddit suppressio, vel reticentia eorum, quae exprimi de Jure, vel consuetudine, aut Stylo Curiae Romanae debent. Ex quo sequitur, super quocunque impedimento petatur dispensatio, haec omnia diligenter exprimenda esse; alias, si aliquid illorum, etiam per ignorantiam, omisum fuerit, Dispensatio erit invalida, etsi illo expresso, adhuc Papa dispensasset. Sanch. l. 8. de matr. D. 21. à n. 13. Vinc. de Just. de Dispens. l. 1. c. 4. n. 4. § 18. & teste P. Reifensstuel Append. n. 149. communis aliorum. Ratio est, quia expressio illorum pro forma requiritur; atqui forma ad unguem est observanda arg. c. si motu 23. de Preb. in 6. ubi deciditur, ex quantumvis modici Beneficij taciturnitate alterius impetrationem Subreptitiam reddi. Contra sine vitio Dispensationis in Supplicatione omitti possunt, quae de Jure, vel stylo exprimenda non sunt, si expressis illis, Papa nihilominus, etsi difficiliter, dispensasset; nam si haec etiam oporteret exprimere, vix ulla Dispensatio foret tuta. Vinc. de Just. l. cit. n. 12.

170 Quæritur I. Quanam observari, & necessario exprimi debeant in Supplicatione pro impetranda quacunque dispensatione Matrimoniali, ne subreptitia censeatur, vel omnino denegetur, aut defectuosa reputetur? n. 1. exprimendum est Nomen, & Cognomen Oratorum, siquidem Dispensatio petatur in Dataria; nam si petatur in S. Poenitentiarum, hoc non exprimitur, sed fictum loco veri ponitur, e. g. Titius &c. Debentque nomina ipsa, sive cognomina in Supplicatione exprimi non abbreviatè, seu truncatè, sed per consequentiam litterarum, & characteres claros, prout teste Corrad. Prax. Dispens. Apost. l. 7. c. 5. n. 23. habet stylus Datariae: ex quo etiam non admittuntur in Supplicatione Nomina Diminutiva Antonellus, Franciscbellus, sed debet dici Antonius, Franciscus, teste eodem Corrad. l. cit. Si in Nomine contingat error, & ponatur unum pro altero, vitatur Dispensatio, seu Mandatum Dispensatorium, ut dictum est supra n. 155. Cognomen tamen Oratorum, si in Urbe ignotum sit, sollicitatore supplere potest ex Arbore Consanguinitatis, si haec simul cum Supplicatione in Urbem transmissa sit. In Exemplo, si ex dicta arbore constet, patrem Oratoris vocari Franciscum, Oratricis verò Antonium,

sationis super Impedimento publicæ Honestatis.

- 207, 208, 209. Et Cognationis Spiritualis.  
 210. Conceduntur Litterae Dispensatoriae tam in Dataria, quam in Poenitentiarum.  
 211. Differentia harum concessionum.  
 212. Forma Supplicationis pro Dispensatione.  
 213, 214. Exempla petite in Dataria.  
 215, 216. Exempla petite in Poenitentiarum.

sufficiet dicere: Exponitur pro parte Stephani nati Francisci, & Catharinae natae Antonij: & idem erit, si in ipsa arbore aderunt nomina Matrum Oratorum. Imò vox Nati, & Natae ex praxi Curiae Romanae, ut Corradus n. 19. notat, omitti potest, & sufficiet dicere pro parte Stephani Francisci: ne autem putetur unicum esse nomen compositum, juxta praxin ejusdem Curiae utrumque nomen scribitur cum prima littera majuscula, cum si sit nomen compositum, primum tantum nomen scribatur sub littera majuscula, alterum sub parva, nullâ distantia adjectâ, nempe Stephanifrancisci, Joannemariae. Si verò neque ex ipsa Arbore, neque aliunde haberi possit notitia horum Cognominum, ne tempus propterea amittatur, poterit porrigi Supplicatio, confingendo ad libitum ipsa Cognomina; quia habitâ postmodum eorum notitiâ, in Litteris Dispensationis suppleri possunt. Corrad. l. cit. n. 20. nisi Dispensatio petita sit in forma pauperum; nam ibi defectus cognominum in Litteris Dispensationis suppleri nequit, eodem teste n. 21.

2. Exprimi debet nomen Dicecesis, ex qua Oratores orti, vel oriundi sunt, juxta dicta n. 156. Et quidem, si ipsi Oratores sint diversarum Dicecesum, non sufficit explicari Dicecesim alterutrius, ut vult Sanch. l. 8. de matr. D. 35. n. 5. sed exprimi debet utraque, ut ex Stylo notorio Curiae Romanae, & ratione probat Corrad. l. cit. n. 26. quia mens Papae, ejusque Cancellariae est semper Dispensationis executionem committere Ordinario Oratricis; si autem unius tantum Dicecesis exprimeretur, contingere posset, ut contra mentem Papae Litterae dirigerentur non Oratricis, sed Oratoris Ordinario, ac propterea illarum Executor, si hujusmodi Stylum ignoret, perperam Litteras ipsas exequeretur. Quodsi Oratores domicilium distinctum à loco originis, & in alia Dicecesi habeant, & ipsi velint Litteras dirigi Ordinario domicilij, expressis verbis istud peti in Supplicatione debet; quia, ut teste Corrad. l. cit. n. 31. notorius est Stylus Curiae, Litteras Dispensationis Pontifex Ordinario domicilij non solet dirigere, nisi à partibus id expressè petatur. Locus Oratorum ordinariè non debet exprimi, sed in tribus duntaxat casibus, videlicet, si simul Dicecesis sit, & si petatur dispensatio ob angustiam loci, vel ob locum situm ad litus maris. Corrad. n. 30.

3. Ex-

3. Exprimi debet desiderium ineundi Matrimonium, vel in jam inito remanendi cum una, vel pluribus *Causis* ad id moventibus. Si copula allegatur pro causa dispensandi in aliquo Impedimento, debet exprimi, an sub spe facilius consequendi Dispensationem fuerit habita, vel non. Gutier. l. 1. can. qq. c. 15. n. 20. Sanch. l. 2. de matr. D. 25. n. 38. Vinc. de Just. l. 1. c. 4. n. 266. Gobat Theol. Exper. tr. 9. n. 626. Engl. hic §. 3. n. 10. Reiffenstuel Append. n. 155. & patet ex notorio Stylo Curie Apostolicæ, quæ in Rescriptis Dispensationum hujusmodi solet inferere Clausulam: *Dummodo copula habita non sit spe Dispensationis facilius obtinenda*: idque merito, ne quis ex fraude, & dolo suo facile reportet commodum contra c. si vir 2. de Cognat. Spirit. & c. propositum 1. de eo, qui duxit &c. cum concordantibus. *Proceditque hoc*, est unus duntaxat ea spe iniisset copulam, vel uterque, quin tamen unus hanc suam spem manifestaret alteri, ut contra Portell, Dianam, Gobat, & alios ex Stylo Curie docet Corrad. l. 8. prax. dispens. apost. c. 1. n. 18. & seqq. Aliud est, si habita copula sine ejusmodi intentione, sed vesana libidine tantum impellente; tunc enim reticentia ejus dispensationem non vitiat, ut verisimiliter docent Navar. Man. c. 21. n. 86. Vers. 5. Henric. l. 2. c. 17. §. 6. n. 32. Pont. l. 2. c. 17. n. 32. Hurtad. de Matr. D. 26. n. 23. Wiestner hic n. 113. Ratio est, quia reticentia veritatis, quæ si exprimeretur, Papam moveret ad facilius concedendam gratiam, Rescriptum non vitiat; talis autem est copula carnalis, habita inter Sponsos, sine intentione facilius impetrandi dispensationem, ut omnes agnoscunt; ergo &c. Et hoc verum est teste Pont. n. 33. & alijs ab hoc relatis, est Dispensationi, pro foro externo obtentæ, adjecta sit clausula, *Dummodo copula non sit habita*; quia intelligenda est de copula habita cum intentione facilius impetrandi dispensationem.

4. Exprimi debet Genus Impedimenti, super quo petitur Dispensatio; nam aliqua Impedimenta sunt, in quibus etiam Pontifex dispensare non potest, quia Jure naturali, vel Divino sunt introducta, ut sunt Ætas usu rationis carens, Impotentia, Consanguinitas in primo gradu Lineæ rectæ, Ligamen, sive Matrimonij consummati vinculum. In alijs dispensare quidem potest, sed nunquam solet, vel rarissimè, ut in Voto solenni, Disparitate Cultus, in Gradu Consanguinitatis secundo, & ulterioribus Lineæ rectæ, in primo Lineæ transversæ, in primo Affinitatis lineæ rectæ &c. In alijs denique Dispensatione opus non est, ut in Impedimento Erroris, Conditionis servilis, Vis, & Merus, Raptus, Clandestinitatis; sufficit enim, si cessante errore, ignorantia Status, metu, violentiâ, renovetur

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

consensus per verba de presenti, idque vel privatim, si prius celebratum sit conjugium coram Parocho, & testibus, & Impedimentum sit occultum; vel adhibito Parocho, & testibus, si prius clam contractum est, aut Impedimentum publicum sit, vel timeri possit, ne publicum fiat, ut dictum est supra Tit. 3. n. 118. & seqq.

5. Si Oratores plura Impedimenta habeant, debent omnia fideliter exprimi. *Proceditque hoc* non tantum, quando Impedimenta sunt diversæ rationis, ut si simul sint consanguinei, & affines, vel Cognati Spirituales &c, sed etiam quando ejusdem sunt rationis; quia duplex conjunctio est fortior, & intensior simplici, & propterea difficiliter relaxatur. Sanch. l. 8. de matr. D. 24. n. 5. Gutier. c. 124. de matr. n. 1. Conink D. 33. n. 81. Pont. l. 2. D. 17. n. 25. Palao tr. 28. D. 4. p. ult. §. 3. n. 1. Perez D. 45. sect. 5. n. 4. Vincent. de Just. de Dispens. l. 1. c. 4. à n. 96. Gonzal. in c. 6. de Consang. n. 4. Wiestner hic n. 107. & 108. Reiffenstuel Append. n. 151. Magnif. P. Schmier p. 3. de matr. c. 1. n. 65. & ratio universon est; quia Dispensatio utpote à Jure exorbitans ultra expressa non extenditur: cons. si aliquod Impedimentum omittitur, Dispensatione non tollitur, sed adhuc manet, & obstat; nam Papa non censetur velle sanare defectum, quem ignorat arg. c. si eo tempore 9. de Rescript. in 6.

*Ex quo sequitur*, non satisfieri allegatione simplici Cognationis, vel alterius Impedimenti, sed necessariò faciendam mentionem duplicis vinculi in sequentibus casibus, 1. Si Titius, & Caja, qui dispensationem petunt in Impedimento Consanguinitatis, sint conjuncti tam ex parte patris, quam ex parte matris. 2. Si Mævius, volens Matrimonium contrahere cum Livia, cognovit carnaliter duas ejusdem consanguineas in primo, vel secundo gradu. 3. Si Sempronius ex Baptismo suscepit prolem Mævix, quam vult ducere, & hæc vicissim prolem Sempronij. 4. Si Mævius vult ducere Cajam, sed cum duabus ejusdem Consanguineis prius contraxit Sponsalia, vel Matrimonium ratum. 5. Si Orator cum duabus ejusdem viri uxoribus, interveniente adulterio, Matrimonium defacto contraxit, vel de contrahendo fidem eisdem dedit. 6. Si in necem duorum ejusdem maritorum, ea consentiente, & Matrimonij cum illa ineundi intentione est machinatus. 7. Et multo magis, si Oratorum conjugio obstant plura Impedimenta diversæ rationis, e. g. quòd simul sint consanguinei, & affines, vel cognati Spirituales.

6. Omnia Impedimenta, quæ obstant Matrimonio, exponi debent in una, eademque Supplicatione. *Contrarium* quidem defendunt Navar. tit. de Consang. cons. 1. §. 4. n. 2. Henric. l. 12. c. 8. n. 8. Conink D. 33. n. 74.

n. 74. Gonzal. in c. 6. de Consang. n. 8. qui putant, sufficere, si diversis litteris Dispensatio petatur super singulis Impedimentis, & probant 1. quia nec Jure expressum, nec Snylo Curia receptum est, quod plurium Impedimentorum Dispensatio iisdem Litteris peti debeat. 2. Unum Impedimentum sine altero dari potest; ergo etiam unum sine altero tolli. 3. Valer impetratio Absolutionis ab una Excommunicatione, non facta mentione de alijs, quibus idemmet ligatur. 4. Impetratio venia diversorum criminum, ut furti, & homicidij, valet seorsim facta. 5. Alias cogeret quis facere jacturam propriae fama, & foeminae; qui enim peccasset cum sorore consanguineae suae, nequiret impetrare dispensationem ad contrahendum cum hac Matrimonium, nisi etiam explicaret incestum, cum ejus sorore commissum.

177 Sed omnino dicendum, omnia Impedimenta iisdem litteris exponenda esse. Ita Abb. in c. 8. de consang. & affinit. n. 12. Alex. de Nevoibid. n. 11. Brunell. de Sponsal. concl. 26. n. 3. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 14. dict. 3. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 4. fin. Sanch. l. 8. de Matr. D. 23. n. 2. Gutier. c. 123. de matr. n. 22. Pont. l. 8. c. 17. n. 32. Vinc. de Just. de Dispens. l. 1. c. 4. n. 87. Bosco de matr. D. 12. sect. 13. concl. 11. Wiestner hic n. 110. Reiffenstuel append. n. 152. Ratio est, quia ne Dispensatio iubreptitia sit, exponi necesse est Impedimentum secundum totam suam gravitatem, quae concessionem intrinsecè difficiliorem reddit; talis est concursus plurium Impedimentorum respectu ejusdem Matrimonij; quia quod plura sunt, eò fortius ligant, & hinc ob pluralitatem Impedimentorum saepe negatur Dispensatio. Conf. quia Papa, concedens Dispensationem secundum allegata, censetur semper dispensare sub tacita conditione; Si aliud non obstat; obstat autem in casu proposito Impedimentum, de quo non est facta mentio; ergo &c.

178 Excipi debent duo casus, in quibus non est necessarium, ut Impedimentum utrumque iisdem Litteris exprimat. Primum est; si Impedimentum alterum sine Dispensatione alia via tolli possit, v. g. si cum Consanguinitate concurrat impedimentum Voti Castitatis ab impubere editi, vel Sponsalium contractorum cum alia; nam Votum tolli irritatione Patris, & Tutorum, Sponsalia Sponsae prioris remissione possunt. Sanch. n. 6. Gutier. n. 22. y. est tamen. secundus, si unum Impedimentum sit notorium, alterum occultum, & tale, ut sine infamia manifestari nequeat, e. g. copula incestuosa cum consanguinea, vel machinatio in necem conjugis, quae consanguinea est illi, quam quis vult ducere; tunc enim unis Litteris super Impedimento notorio peti potest Dispensatio pro foro externo, alijs ex Poe-

nitentia super Impedimento occulto pro foro interno, explicato tamen in his ultimis etiam impedimento notorio, non quod Poenitentia etiam super hoc dispense, aut quasi ab illa dispensatio super illo petatur, sed quia Poenitentia etiam super impedimento occulto difficilius dispense, quando jungitur cum alio, vel alijs Impedimentis. Sanch. n. 7. Gutier. n. 22. y. secundo, & c. 124. n. 13. Vinc. de Just. l. 1. c. 4. à n. 103. Reiffenstuel n. 153. Ratio Exceptionis hujus secundae est, quia jure optimo praesumitur, Papam non velle, ut cum infamiae periculo occultum crimen sibi exponatur. Neque hoc casu refert, sive prius proponatur utrumque Impedimentum S. Poenitentiae, & postea publicum Papae, sive econtra; quia idemmet est effectus, & utroque modo satisfat intentioni Pontificis. Sanch. Gutier. l. cit. ubi addunt, posse tunc Confessarium, cui S. Poenitentia committit Dispensationem in Impedimento occulto, dispensationem dare, licet nondum sit impetrata Dispensatio super Impedimento publico, ut postea, hac impetrata, Oratores licite possint contrahere.

Sic limitatae Responsioni non obstantibus Argumenta n. 176. opposita. Ad 1. Sanch. n. 7. pro nostra Sententia allegat Declarationem Cardd. Vinc. de Just. l. cit. praxim, & stylum Curiae Apostolicae. Ad 2. Licet tolli unum Impedimentum sine altero possit, id tamen ordinariè non fit à Papa, quippe qui dispensare non intendit, nisi Impedimentum cum tota sua gravitate expositum sit. Ad 3. Ad valorem Absolutionis ab Excommunicatione nullo Jure cavetur, ut impedimentum aliquod explicetur, praeter eam causam praecisè, ob quam Excommunicatio, cujus absolutio petitur, incurta est: imò nec eam causam necesse est explicare; quia adhuc ipsa Excommunicatione per oblivionem non explicata, manet poenitens ab ea absolutus per absolutionem generalem ab Excommunicatione, quae absolutioni à peccatis praemitti solet. Ad 4. Impetratio venia diversorum criminum tendit ad diversos fines, & una non pendet ab altera: at dispensatio utriusque Impedimenti tendit ad idem Matrimonium ineundum, cui utrumque illud Impedimentum resistit. Ad 5. Patet ex n. praec. ubi excipitur, si ex alicujus criminis expressione sequeretur infamia.

7. Si petatur Dispensatio super Impedimento Consanguinitatis, vel alio quocunque, post Matrimonium jam contractum, ut ex communi, & certa sententia Sanch. l. 8. de Matr. D. 25. n. 22. & seqq. Corrad. l. 8. Prax. Dispens. Apost. c. 13. n. 1. & seqq. Perez D. 45. sect. 7. n. 7. Wiestner hic n. 111. Reiffenstuel Append. n. 157. & seqq. notant, exprimendum est, an Oratores illud bona, vel mala fide contraxerint, scientes, vel ignorantes inter ipsos in-

tercedere Impedimentum. 2. Si mala fide, & cum scientia Impedimenti, an illud contraxerint sub spe facilius consequendi Dispensationem, vel si hanc intentionem expressè non habuerunt, an ita mala fide contractum consummârint. 3. Si verò bona fide, & cum ignorantia Impedimenti contraxerunt, an id contraxerint præmissis, vel omiſſis sine iusta causa Denuntiationibus. Patet ex Trid. *sess. 24. c. 5. de reform. Matr.* ubi sic contrahentes Dispensationis consequendæ spe carere voluit: non quidem simpliciter; quia Concilium Papæ manus ligare non potuit, nec etiam voluit, ut Synodi laudatæ PP. *sess. 25. c. 21. de reform.* ipſimet declarant; sed eum instruendo, & hortando, ut huiusmodi Dispensationes raro, & non nisi ex iustissima causa concedat.

181 *Proceditque hoc* non tantum, quando Oratores cum Impedimento Consanguinitatis, vel Affinitatis, sed etiam, quando contraxerunt cum quocunque alio Impedimento dirimente, ut teste Corrad. *l. 8. c. 3. n. 2.* habet Stylus, & praxis notoria Romanæ Curie. *Neque obstat*, quòd Trid. *c. 5. cit.* tantum loquatur de ijs, qui contrahunt in Gradibus prohibitis, & Constitutio ipsius sit pœnalis, conf. restringenda; quia etiam Constitutiones pœnales extendendæ sunt ad casum, quem ratio Constitutionis comprehendit. atqui ratio, quâ moti fuerunt Trid. PP. ad Decretum hoc faciendum, unica fuit, quòd *indignus sit, qui Ecclesie benignitatem experiatur, cujus salubria precepta temere contempſit*, quæ ratio omnino militat in contrahentibus cum quocunque Impedimento dirimente, ergo &c. *Conf.* Quia optima Legum interpres est consuetudo, & praxis recepta, atqui praxis Curie, ut ex Corrado notavi, hoc Trid. Decretum ad quocunque Impedimentum extendit, ergo &c.

182 Et quamvis, si una pars bona fide contraxit, probabiliter pro foro conscientie dispensare possit Episcopus, casu tamen, quo Dispensatio petitur in Curia Romana, securius est, & pro praxi omnino consultatur, ut si factem una pars fuit conscia Impedimenti, casus fideliter proponatur, & prout se habet à parte rei, sive dein petatur Dispensatio pro foro externo, sive pro interno: & hoc ideo, quia ex probabili doctrina Genuens. *prax. Cur. Archiep. c. 20. n. 7.* Vinc. de Just. *l. 3. de Dispens. c. 16. n. 15.* Corrad. *l. 8. c. 1. n. 9.* & notorio Stylo Curie, ut hic Author testatur, hoc etiam de necessitate exprimendum est, si una pars conscia fuit Impedimenti, & consequenter mala fide contraxit; quia cum agitur de valore Sacramenti, semper securior via suadenda est. Et ob hanc rationem etiam suadet, ut eo casu, quo una pars saltem conscia Impedimenti fuit, non apud Episcopum, sed Pœnitentiarum petatur Dispensatio pro foro conscientie, allegando ibidem fideliter casum.

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

8. In Supplicatione pro Dispensatione secunda mentio debet fieri primæ, si utriusque Dispensationis materia eadem sit, & utraque ad eundem finem tendat. Sed hoc procedit in duobus duntaxat casibus.

*Primus est*, quando Dispensatio, vel Privilegium tendit in præjudicium tertij, & huic per posteriorem ampliore magis præjudicatur, quàm per priorem, sicut accidit in casu *c. veniens 19. de Prescript.* ubi statuitur Privilegium posterius, magis amplè concessum, Subreptitium, & irritum esse, si is, cui illud concessum est, prius impetravit privilegium aliud super eodem articulo minus amplum, & illud in Supplicatione pro secundo reticuit. Exemplum est in impetratione Beneficij; cum enim pluralitas Beneficiorum cedat in præjudicium Ecclesie, cui expedit plures habere ministros sibi servientes, ut provisio de secundo Beneficio non sit Subreptitia, in hujus impetratione mentio facienda est primi jam obtenti *c. cum adeo 17. de Rescript.* & *c. si motu 23. de Preb. in 6.*

*Alter casus est*, quando Papa non cognoscit sufficienter totum Impedimentum, & quantitatem, vel qualitatem gratiæ, quam Impedimentum tollendo confert, nisi mentio facta sit etiam Dispensationis prius concessæ. Ita accidit *c. fin. de fil. Presbyt. in 6.* ubi Dispensatio ad secundum Beneficium pro Subreptitia habetur, quòd defectu illo non exposito, Papa non fuerit plene informatus de Impedimento, cum defectus ille per primam Dispensationem non fuerit plene sublatus. Sed in hoc casu expressio Dispensationis facienda est non ratione sui, sed ratione Impedimenti: & hinc si in casu *c. fin. cit.* defectus Natalium fuisset expositus, Dispensatio ad secundum Beneficium non fuisset invalida, etsi in impetratione illius non fuisset mentio facta de prima. Domin. *in c. fin. cit. n. 7.* Franc. *ibid. n. 2.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 8. §. 8. n. 5.* Sanch. *l. 8. de Matr. D. 22. n. 6.* Pont. *l. 8. c. 17. n. 7.* Wiestner *hic n. 116.*

Extra hos duos casus Dispensationis prioris mentio in Supplicatione pro secunda, pro eodem articulo obtinenda, non est necessaria, cum nullibi hoc caveatur. Multo minus necessaria est expressio Dispensationis prius impetratæ, quando secunda Dispensatio cadit supra diversam materiam, aut tendit ad finem diversum, v. g. si post impetratam Dispensationem in lege jejuniij, supplicetur pro Dispensatione in Voto Continentiæ ad Matrimonium ineundum; quia neque ex Jure, neque ex praxi constat, quòd necessaria sit mentio Dispensationis prioris. Navar. *tir. de privil. cons. 12. n. 2.* Sanch. *D. 22. cit. n. 5.* Wiestner *n. 114.*

9. Juxta Menoch, *de arbitr. cas. 203. n. 6.* necessarium est facere mentionem, si Dispensatio super eodem Impedimento jam semel est petita, sed denegata, qui proinde

putat Dispensationem fore Subreptitiam, si in Supplicatione denuo facta non fiat mentio Dispensationis antea petite, & non impetrata. *Rationem* dat; quia si mentio fuisset facta repulsa, Dispensatio fuisset negata. igitur dum concessa est absque mentione de repulsa, processit ex errore.

187 Sed tenenda est Sententia negativa, quam etiam defendunt Sanchez *l. 8. de Matr. D. 22. n. 14.* Pont. *l. 8. c. 17. n. 3.* Wiestner *bic n. 119.* Reiffenstuel *Append. n. 154.* Ratio est, quia neque ex Jure, neque ex stylo Curie, neque ex ratione probari potest necessitas ista. *Proceditque hoc*, etsi coram inferiore denegantis iteretur petitio, modo iste Jurisdictionem sufficientem habeat, ut rectè notat P. Wiestner *l. cit.* & ratio est, quia istius facultas non tollitur, nec restringitur per hoc, quòd Superior Dispensationem negaverit.

188 *Ad Rationem in contrarium allatam* dico, præsumptionem illam esse levem; quia in iterata petitione allegari possunt plures, & efficaciores causæ, & rationes quibus etiam Superior moveri ad gratiæ antè denegatæ concessionem potuisset, si propositæ illi fuissent.

189 *Quæritur 2.* Quanam necessariò exprimi debeant, quando petitur Dispensatio super Impedimento *Consanguinitatis*? *n.* 1. exprimi debet *Gradus*, quo Oratores conjuncti sunt, utrum videlicet conjuncti sint in Linea recta, vel transversali, in secundo, tertio, vel quarto gradu. Ita omnes teste Sanch. *l. 8. de Matr. D. 24. n. 163.* & firmat notorius Stylus Curie, in hac parte pro, Lege observandus. *Ratio est*, quia difficilior est Dispensatio in gradu propinquiori, quàm in remotiori. Hinc pro subreptitia, conf. invalida habenda est Dispensatio, si gradu non expresso, tantum in genere dicerent Oratores, se esse consanguineos. Quodsi tamen loco remotioris exprimeretur propinquior gradus, e. g. tertius pro quarto, Dispensatio non vitabitur, ut dictum *suprà n. 157.* quod verum putat Sanch. *l. 8. de Matr. D. 24. n. 16.* quamvis datâ operâ, mendacium contingeret; quia non tangit Dispensationis substantiam, & eâ non expressâ, concederetur faciliùs. *Contra* si errore etiam inculpabili explicaretur gradus inferior, e. g. quartus, cum tamen sit superior v. g. tertius, subreptitia, & irrita erit Dispensatio ex defectu intentionis Papæ. Gutier. *c. 124. de Matr. n. 9.* Multo magis irrita erit, si explicaretur per errorem Impedimentum majus, ut si dicatur, contrahentes esse consanguineos in 2. gradu, cum tamen in eo gradu sint affines; quia una species non includitur in alia.

2. Exprimi debet *modus Consanguinitatis*; ad quem pertinet, ut exprimatur, si Oratores conjuncti sint duplici vinculo consanguinitatis, & multo magis, si plura di-

versæ rationis Impedimenta habeant: & quidem expressio hæc fieri debet in eadem Supplicatione secundum dicta à *n. 174.* Item si in gradu inæquali conjuncti sint, debet non tantum exprimi gradus remotior, sed etiam propinquior, dicendo, quòd sint v. g. in secundo, & tertio: idque non ideo, quasi super propinquiori gradu necessaria etiam foret Dispensatio, sed ut per speciale Breve declararetur, proximiorum gradum non obstare; id namque expressè statuit S. Pius V. *Const. incipit sanctissimus editâ 26. Aug. 1566.*

Distingui tamen debet, an cum re<sup>191</sup> motiori concurrat primus, an verò alius magis remotus, e. g. secundus cum tertio, tertius cum quarto &c. *Si enim cum remotiori concurrat primus*, ut si Titij nepos, pronepos, abnepos peteret Dispensationem ad contrahendum Matrimonium cum ipsius filia, ejus expressio ita requiritur, ut eâ non factâ, Dispensatio fiat subreptitia, prout patet ex *Const. cit.* ubi dicitur, si Oratores primum gradum quoquo modo attingant, non esse mentem Pontificis in ejusmodi gradibus dispensare, nisi exprimatur: & ratio est, quia hæc Matrimonia continent specialem indecentiam ob reverentiam, quæ hujusmodi personis debetur ferè similiter, ac parentibus.

*Contra est*, si cum remotiori e. g. <sup>194</sup> quarto concurrat secundus; tunc enim, ut *cit. Const.* declaratum est, valet Dispensatio absque dictâ expressione gradus propinquioris, ita tamen, ut ex post factâ Litteræ Declaratoriæ desuper impetrentur, in quibus Pontifex duntaxat priorem Dispensationem valere, Sanch. *l. 8. de Matr. D. 24. n. 31.* Gutier. *c. 124. de Matr. n. 11.* Engl *bic s. 3. n. 10.* qui addit, easdem litteras, quia ad scandalum duntaxat tollendum requisitæ sunt, non desiderari, si nullum ex tali Dispensatione scandalum oriretur, ut quia res ad forum externum delata non est, & homines ignorant, an Supplices omnia expresse- rint.

In casu, quo Litteræ hujusmodi De<sup>193</sup> claratoriæ, ubi opus iisdem est, impetratæ non sunt, Dispensationis Litteras Episcopus, vel alius deputatus Executor non potest exequi, ut cum alijs notat Corrad. *Prax. Dispens. Apost. l. 7. c. 7. n. 59.* Imò ut *Autor* iste ibidem docet, si tali casu Dispensationis Breve pro foro externo exequeretur, peccaret mortaliter; quia in materia gravi transgredere Legem Pontificiam. Quare expectare interea, & suspendere executionem debet, donec Oratores, qui absque Gradus propinquioris mentione obtinuerunt Dispensationem, Litteras Declaratorias Româ impetrent.

An verò eo casu Dispensationis exe-<sup>194</sup> cutio, Litteris Declaratorijs non impetratis, validè fiat, diversæ sunt duæ Sententiæ. Sanch.

Sanch. D. 24. c. 1. à n. 29. Pont. l. 8. c. 17. n. 26. § 27. Tambur. l. 8. c. 9. §. 7. n. 3. Perez D. 46. sect. 5. n. 7. Gobat. Theol. Exper. tr. 9. n. 621. putant Executionem fieri validè. Corrad. prax. Dispens. l. 7. c. 7. à n. 71. Vinc. de Just. de Dispens. l. 2. c. 3. à n. 40. Reiffenstuel Append. n. 172. negant esse validam: additque Corrad. n. 72. ita fateri omnes præticos Curiales, seque pluries observasse, Matrimonia fuisse declarata nulla, quæ contracta fuere vi Dispensationis sine memoratis Litteris. *Confirmant ex Const. S. Pij V. cit.* ubi postquam declaravit, sufficere ad valorem Dispensationis, si exprimat gradus remotior, illico addit: *Obtenis tamen postea super propinquiore Litteris declaratorijs; nam Vox tamen*, ut Barbof. Diç. usq. freq. Diç. Tamen n. 3. notat, de natura sua conditionem, & modum importat: ut adeo conditio hæc impleri debeat, ut validè Dispensatio executioni detur. Videatur P. Reiffenst. l. cit. à n. 170.

195 3. Si super Impedimento Consanguinitatis petitur Dispensatio, & pro causa allegatur Copula, seu potius sequentia inde scandala, diffamatio mulieris &c. illaque habita fuit sub spe Dispensationis facilius consequendæ, illa necessariò debet exprimi; alias Dispensatio erit Subreptitia, & nulla, etsi una tantum pars tali spe copulam inierit, vel admiserit, prout patet ex diçtis n. 172.

*Proceditque hoc 1.* Etiam si alia causa dispensandi legitima afferatur; nam si copula sit publica, necessariò est exprimeada, ut advertunt Genuens. prax. Cur. Archiep. c. 25. n. 4. Bonac. de LL. D. 1. q. 1. p. 5. n. 9. Barbof. l. 2. Vol. 17. n. 60. Corrad. prax. Dispens. l. 8. c. 7. n. 3. qui n. 36. addit, ita fateri omnes Curiales, & n. 38. confirmat Declaratione Cardd. quæ ita sonat: *Congregatio Cardd. Concilij censuit Dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos, vel affines, aut Spirituali cognatione conjunctos carnalis copula præcessisset, cujus mentionem in Supplicatione non fecissent &c.*

196 *Procedit 2.* Non tantum, quando copula præcedit Supplicationem Pontifici porrigendam, sed etiam si eam sequitur: imò etiam quando contingit, postquam Litteræ Dispensationis à Papa jam sunt concessæ, à Delegato autem executioni nondum mandata, prout docent ciit. DD. & declaratum est à S. Congr. apud Corrad n. 42. cujus verba sunt: *Qui Romam miserunt pro Dispensatione, & habito nuccio, quod Littere fuerunt expeditæ, contraxerunt, vel se cognoverunt, & ita verum est, fuisse expeditas, & habere Datam ante Contractum, vel commixtionem, nullas Dispensationes esse Congregatio Cardinalium censuit.*

197 *Limitari autem debet, si copula sit occulta; tunc enim non est necessaria ejus expressio, ut cum alijs docet Sanch. l. 8.*

de Matr. D. 25. n. 10. Ratio est, quia præsumi non potest, quòd Ecclesia pia mater velit, ut quis seipsum gravissimè diffamet, & vitæ periculo exponat, manifestando incestum occultè commissum. *Neque opus est hoc casu Copulam occultam exponi apud S. Pœnitentiariam, & sollicitari, ut vitium Dispensationis suppleat; tum quia incestus cum propria consanguinea Dispensatione non indiget; tum verò quia non apparet solidum fundamentum hujus expressiois.*

*Ex quo patet, obligationem exprimen-198* mendi copulam non esse nimis duram; quia cum, occulta est, exprimenda non est: quando autem est publica, expressa Dispensationem magis faciliat, & exprimentem non diffamat, utpote jam antè diffamatum. *Neque obstat, quòd expressa copulâ, major debeat sustineri poena, & major taxa solvi; nam utrumque æquitati conforme est, & alijs ad terrorem, & exemplum non immeritò statutum.*

*Quæritur 3. Quid exprimi debeat, 199* quando petitur Dispensatio super Impedimento *affinitatis?* R. 1. Debet exprimi Gradus, in quo Oratores sibi affines sunt; nam quò propinquiori gradu conjuncti sibi sunt invicem, eò difficilior est Dispensatio, ut *suprà n. 189.* dictum est. In hoc tamen dispar ratio est Consanguinitatis, & Affinitatis, quòd in Consanguinitate, quando Oratores inæqualiter inter se distant, exprimendus sit etiam propinquior gradus. Contra in Affinitate, ut Sanch. l. 8. de Matr. D. 24. n. 13. notat, satis est exprimere inæqualitatem gradus; quia in Affinitate ea peculiaris reverentia non exhibetur propinquiori stipiti, quæ in consanguinitate.

2. Addendum, an sint affines in Linea recta, vel transversali; nam indecentius est ducere affinem in Linea recta, e. g. matrem, aviam, aut neptem uxoris defunctæ, aut patrem, avum, vel nepotem mariti defuncti, quam affinem in Linea transversali v. g. forem, aut ex sorore neptem uxoris defunctæ. Sanch. l. 8. de Matr. D. 24. n. 14. Vinc. de Just. de Dispens. l. 1. c. 4. n. 152. Reiffenstuel Append. n. 198. Quod saltem verum est, quando Affinitas oritur ex copula licita; nam quando oritur ex copula illicita, ut Sanch. l. cit. notat, expressio Lineæ rectæ, & transversæ necessaria non est, quòd ex ea copula non oriatur notabiliter specialius vinculum, aut notabiliter major obligatio reverentiæ erga affines in lineâ recta, quam in obliqua.

3. Si petatur Dispensatio super Affinitate in primo, & secundo gradu, exprimendum est, an ea proveniat ex copula licita, vel illicita; nam si proveniat ex copula licita, sive conjugali, includit etiam publicam Honestatem, ortam ex Sponsalibus Matrimonium præcedentibus, & propterea vinculum  
Ccc 3  
ejus

ejus est fortius, quam vinculum Affinitatis, ortæ ex copula illicita, quæ hujusmodi publicam Honestatem non includit. Sanch. l. cit. n. 40. Conink D. 33. n. 79. Pont. l. 8. c. 17. n. 30. Wiestner hic n. 105. Dixi, si petatur Dispensatio in primo, & secundo gradu; nam si petatur in tertio, & quarto, opus non est exprimere, an ex copula licita, vel illicita orta sit Affinitas, cum Impedimentum illius, quæ orta est ex illicita, ultra secundum gradum nunc post Trid. sess. 24. c. 4. de reform. Matr. non amplius extendatur.

4. Exprimi debet, si Oratorum conjugio præter Affinitatem obstat adhuc aliud Impedimentum. Excipit Gobat tr. 9. n. 618. si Affinitas concurrat cum publica Honestate; nam hujus expressionem existimat non esse necessariam. Sed distinguendum est, an Affinitas talis oriatur ex copula licita, vel conjugali, an verò ex illicita. Si ex licita, e. g. si Titius Matrimonium velit inire cum Caja, consanguinea Berthæ uxoris suæ carnaliter cognitæ, non est opus, ut exponatur Impedimentum publicæ Honestatis, copulam illam præcedens; quia hoc ipso, quod Bertha fuerit ejusdem uxor, etiam intelligitur, quod fuerit ejusdem Sponsæ, ergo expressa Affinitate, proveniente ex copula licita, jam intelligitur Impedimentum publicæ Honestatis contractum ab eodem Titio cum consanguineis uxoris suæ in primo gradu. Si vero Affinitas orta sit ex copula illicita, v. g. si Titius inire velit Matrimonium cum Caja consanguinea Berthæ, cum qua prius est fornicatus, exprimi publicæ Honestatis Impedimentum debet; quia fornicariam copulam Sponsalia sæpe non præcedunt. igitur expressa Affinitate, orta ex copula fornicaria, nondum satis exprimitur Impedimentum publicæ Honestatis.

5. Si Affinitas orta est ex Copula illicita, exprimendum est, an habita illa fuerit cum pluribus consanguineis Sponsæ, cum qua Orator contrahere vult Matrimonium; quia tunc pro numero personarum conjunctarum, cum quibus copula est habita, multiplex constituitur Impedimentum. Dixi autem, cum pluribus consanguineis Sponsæ; nam si cum eadem consanguinea plures commissæ sint fornicationes, non est opus, exprimere copulam fuisse repetitam, sed sufficit mentio Affinitatis. Quod procedit, etiamsi obtenta Pontificia Dispensatione in Affinitate, antequam Ordinarius eam exequatur, impetrans iteraret copulam cum eadem consanguinea faminx à se ducendæ in uxorem; quia adhuc valuit dispensatio, eo quod nondum consummata sit, sed tantum mandata Ordinario ejus executio. Secus est, si accederet copula, postquam jam dispensavit Ordinarius, vel Confessor, cui committitur Dispensatio in foro conscientie; quia cum prior Affinitas per Dispensa-

tionem sublata omnino sit; contraheretur nova Affinitas per hanc copulam, pro qua nulla facta est dispensandi commissio. Egent ergo contrahere volentes in hac specie nova Dispensatione. Gutier. de Matr. D. 124. n. 2. Conink D. 33. n. 81. Sanchez D. 24. c. 1. n. 7. & 8.

6. Denique exprimi debet, si petatur dispensatio in Matrimonio contracto cum Affine, an bona, vel mala fide, præmissis, vel omittis Denuntiationibus contractum sit, item an consummatum illud jam sit, ut supra dictum est n. 180. Item si pro causa Dispensationis allegeretur Copula, illaque habita sit sub spe facilius consequendæ Dispensationis, opus est etiam istud exprimi, pro ut exprimendum n. 195. dixi in Consanguinitate. Ratio est, quia Jura, Stylus Curie, & rationes in hoc puncto de Consanguinitate, & Affinitate æqualiter procedunt, juxta communem DD. & patet ex Bulla S. Pij V. n. 190. allegata.

Quæritur 4. Quænam necessariò ex primi debeant, quando petitur Dispensatio super Impedimento publicæ Honestatis? R. Distinguendo, an ortum sit ex Sponsalibus de futuro, an verò ex Matrimonio rato. Si primam, in Supplicatione Dispensationis super illo non est necessarium gradum addere, cum defacto post Trid. sess. 24. c. 3. de reform. Matr. tantum in primo dirimat Matrimonium. Si secundum, exprimi gradus debet, Sanch. l. 8. de Matr. D. 33. n. 16. Gutier. de Matr. c. 124. n. 1. & 7. Conink D. 33. n. 79. Pont. l. 8. c. 17. n. 29. Perez D. 45. sess. 5. n. 15. Gonzal. in c. 6. de Consang. n. 4. Wiestner hic n. 104. & hoc teste communis doctrina. Ratio est, quia quò gradus propinquior est, eò difficilius est Dispensatio, & majori compositione exacta, & urgentioribus causis petitione conceditur.

Dubium est, an necessarium sit ex primere etiam Matrimonium, quando petitur Dispensatio in hoc Impedimento? R. Si in primo gradu petatur Dispensatio, exprimi debet; non verò, si in secundo, & ulterioribus. Ita Gutier. c. 124. n. 7. & alij supra. Ratio primi membri est, quia si in primo gradu super publica Honestate petatur Dispensatio, nescitur, an illud ortum fuerit ex Sponsalibus, an verò ex Matrimonio, cum ex utroque Impedimentum istud inducatur in gradu primo; atqui oportet hoc scire dispensantem; quia multò gravior est indecentia Matrimonio jungi cum sorore, filia, aut matre Sponsæ de præsentibus, quam Sponsæ de futuro. Ratio secundi; quia cum hodie, uti dictum est, ex solo Matrimonio rato oriatur Impedimentum publicæ Honestatis in secundo, & ulterioribus gradibus, hoc ipso, quod petatur Dispensatio tali gradu, satis intelligitur, eam peti ex Impedi-



mento hoc, quatenus ortum est ex Matrimonio rato.

307 **Quæritur 5.** Quænam necessariò exprimi debeant, quando petitur Dispensatio super Impedimento Cognationis Spiritualis? **R.** 1. exprimendum est, an ea sit Paternitas, vel Compaternitas. Sanch. l. 8. de Matr. D. 24. n. 15. Gutier. c. 124. de Matr. n. 7. Conink D. 33. n. 79. Vinc. de Just. l. 1. de Dispens. c. 4. n. 168. Averfa de Matr. q. 19. sect. 5. §. sexta, Gonzal. in c. 6. de Consang. & Affinit. n. 4. Ratio est, quia longè indecentius est Matrimonium inter patrem, & filiam Spiritualem, quàm inter Compatrem, & matrem hujus filia, aut inter commatrem, & patrem ejusdem: & hinc faciliùs dispensatur in Compaternitate, quàm in Paternitate. Imò Sanch. n. 15. cit. disertè negat, se unquam audisse, vel legisse, quòd dispensatum fuerit ad contrahendum Matrimonium cum filio, aut filia Spirituali. Pontius l. 8. c. 17. n. 28. unum quidem Dispensationis hujusmodi exemplum refert, sed fatetur, quòd conjugium istud infaustum habuerit exitum.

308 **2.** Exprimi debet, si Cognatio Spiritualis sit duplex, ut si quis alicujus prolem unam levavit ex Sacro Fonte, & eandem in Confirmatione tenuit; vel si ejusdem prolem unam levavit ex Baptismo, alteram tenuit in Confirmatione; aut si unus alterius liberos vicissim levavit. Vinc. de Just. l. cit. n. 169. Averf. v. cit. Reiffenstuel Append. n. 201. Quodsi tamen quis plures ejusdem liberos è Sacro Fonte levavit, aut in Confirmatione tenuit, per hoc non multiplicatur Cognatio Spiritualis: & propterea numerus susceptarum prolium non debet necessariò exprimi, ut ex Declaratione Clementis VIII. refert Garc. p. 8. de Benef. c. 3. n. 78. Corrad. l. 8. Prax. Dispens. Apost. c. 2. n. 16. Vinc. de Just. n. 170. Wiestner hic n. 106. Reiffenstuel l. cit.

309 **3.** Juxta aliquos exprimendum est, an Cognatio orta sit ex Baptismo, vel Confirmatione; quia Cognatio orta ex Baptismo magis imitatur Cognationem naturalem, quàm Cognatio orta ex Confirmatione: & hinc teste Corrad. c. 8. cit. n. 16. Supplicationes, in quibus origo Cognationis Spiritualis non exprimitur, in Curia Apostolica admitti non solent.

310 **Quæritur 6.** Quomodo sit formanda supplicatio Dispensationis super Impedimento Matrimoniali. **R.** Distinguendo: Nam Dispensationes, sive Mandata Apostolica dispensandi super Impedimentis conjugiorum sunt duplicis generis, & diversa dantur, prout ipsum est Impedimentum. Et si quidem Impedimentum sit publicum, expeditur Dispensatio, vel Mandatum dispensandi in Dataria, seu Cancellaria Apostolica. Si verò occultum sit, petitur, & expeditur in Pœnitentiaria Romana.

Differentia inter Dispensationem impetratam in Dataria, & inter impetratam in Pœnitentiaria Romana est multiplex. Nam 1. expedita in Dataria servit etiam in foro externo; expedita in Pœnitentiaria pro foro interno tantum. 2. Prior datur in Impedimento etiam publico; posterior in Impedimento occulto tantum. 3. à Dataria in Impedimento Consanguinitatis dispensatur tam ad contrahendum Matrimonium, quàm ad remanendum in contracto; à Pœnitentiaria tantum ad remanendum in contracto. 4. In Pœnitentiaria Dispensationes solum dantur in gradibus secundo remotioribus; in Dataria etiam in secundo Consanguinitatis, & primo Affinitatis. Fill. tr. 10. c. 10. n. 51. Vinc. de Just. de Dispens. l. 1. c. 8. n. 30. Wiestner hic n. 120. §. 121.

Debet autem Supplicatio fieri 1. in 212 Scriptis; aliàs non conceditur Dispensatio. Corrad. l. 7. Prax. Dispens. Apost. c. 4. n. 6. & l. 2. c. 1. n. 23. Vinc. de Just. l. 1. c. 3. n. 1. & habet Stylus Curia. 2. Concipi debet Idiomate Latino, & quantum fieri potest, verbis proprijs, in Curia usitatis, ac sine ambagibus, simpliciter, & relictis superfluis Ceremonijs. Corrad. l. 2. cit. c. 1. à n. 24. Vinc. de Just. à n. 2. Reiffenstuel Append. n. 236. 3. Si Dispensatio petitur in Dataria, vel Cancellaria Apostolica, dirigitur ad ipsum Papam Supplicatio; si in Pœnitentiaria, dirigi potest etiam ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium. 4. Cum in Dataria, & pro foro externo petitur, Supplicatio incipit, *Beatissime Pater*, subjicitur dein Nomen, Cognomen, & Diocesis Oratorum, Causa, ob quam petitur Dispensatio, genus impedimenti, in quo pro Dispensatione supplicant, & denique ipsa petitio, seu supplicatio, ut Impedimento hoc non obstante, Matrimonium contrahere, vel in contracto persistere liceat. 5. Eodem ferè modo concipi Supplicatio debet, quando petitur Dispensatio pro foro interno, & in Pœnitentiaria, excepto eo, quòd tunc Litteræ inscribantur, ut dictum est, Cardinali Pœnitentiaro, à foris quidem *Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Domino S. R. E. Cardinali majore Pœnitentiaro, Romæ.* Intus verò incipiunt, *Eminentissime, & Reverendissime Domine.* In fine per modum Postscripti, procurans Litteras addit in hunc modum: *Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere Ingolstadtum v. g. ad me infra scriptum:* qui proinde in calce addere nomen suum, & cognomen debet.

Formulas Supplicationum ejusmodi 213 DD. passim referunt, & inter hos Corrad. Prax. Dispens. Apost. l. 2. c. 1. n. 32. Arsdakin Theol. trip. tom. 2. tr. 4. §. 5. Wiestner hic n. 124. & seqq. Reiffenstuel Append. n. 240. & seqq. Pro Dispensatione super Impedimento Consanguinitatis ex causa defectus com-

competentis Dotis, concipi Supplicatio in hunc modum potest.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestre pro parte Devotorum ipsius Oratorum Friderici N. & Margarita N. (appositis utriusque Cognominibus) Diocesis Eystettensis (vel si Oratores diversarum Diocesum sint, Friderici Eystettensis, & Margaritæ Augustanæ Diocesis) quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta statum sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paræ conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus Orator cum dicta minus competente Dote Oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia tertio, & quarto à communi stipite provenientes gradibus conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque sedis Apostolicæ Dispensatione. Supplicat igitur humiliter Sanctitati Vestre Oratores prefati, quatenus cum ipsis, quod Impedimento quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publicè, servatâ formâ Concilij Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere, liberè, ac licitè valeant, dispensare; distantiam verò prædicti gradus eis non obstare, declarare prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando dignetur de gratia speciali. Non obstantibus præmissis, & Constitutionibus, atque Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis.

214 Ex causa componendæ pacis, & extinctionis inimicitarum Supplicatio pro Dispensatione super Impedimento publicæ Honestatis ita concipitur.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter sanctitati Vestre pro parte Devotorum ipsius Oratorum Henrici N. Laici, & Beatricis N. Diocesis Ratisbonensis, quod cum inter dictorum Oratorum parentes, & consanguineos, vel affines graves inimicitie oriæ jam sint, & de præsentibus vigeant, aliunde tamen, quam ex causa Matrimonij, inter eos contrahendi, provenientes, & ante istius tractatum exorta, spēsque certa sit, quod si Oratores sibi invicem Matrimonialiter copularentur, inimicitie hujusmodi omnino componerentur, pro illis componendis, & bono pacis cupiunt Oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari. Sed quia aliàs dictus Orator Sponsalia per verba de futuro cum Oratricis sorore ad præsens defuncta contraxit, quæ quidem Oratricis soror ab eodem Oratore intacta, & in nullo attentata ab humanis decessit, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ Dispensatione. Supplicat igitur humiliter Sanctitati Vestre Oratores prefati,

quatenus cum ipsis, quod hujusmodi primi gradus publicæ Honestatis Justitiæ impedimento non obstante, Matrimonium inter se publicè &c. ut in forma præcedenti.

Et in hunc modum, mutatis mutandis, formari debent etiam aliæ Supplicationes, quibus super alijs quibusvis Impedimentis Dispensatio pro foro externo petitur.

Quando Dispensatio in S. Pœnitentiaria pro foro conscientie, allegata infirmitate carnis, petitur, omisso Oratorum nomine, & posito N. N. vel nomine ficto, Supplicatio pro dispensatione in Voto Castitatis sic effertur:

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

Exponitur humiliter Eminentiæ Vestre pro parte devoti Oratoris NN. vel Titij Laici Diocesis Ratisbonensis, quod ipse aliàs vovisse se Castitatem perpetuam servaturum. Cum autem infirmitatibus oppressus carnis stimulus ita agitur, ut se continenter vivere posse diffidat, pro suæ conscientie tranquillitate cupit per Sedem Apostolicam votum prædictum ad effectum contrahendi Matrimonium commutari. Quare Eminentiæ Vestre humiliter supplicat, quatenus prædictum votum ad hoc, ut Matrimonium publicè juxta formam Trid. Concilij contrahere, & debitum conjugale exigere, ac reddere licitè possit, in alia Pœnitentiæ, ac pietatis opera dispensando commutare auctoritate Apostolica dignetur.

Breviùs eadem Supplicatio super eo 216 dem Voti Impedimento sic afferri potest.

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

Titius Laicus Diocesis Ratisbonensis emittit votum simplex Castitatis perpetuæ; sed cum adfit, vel adfuturum esse prævideat periculum incontinentie, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Additur Postscriptum, ut supra n. 212, in fin. ubi notandum, quod ille, ad quem dirigitur Mandatum Dispensatorium, Confessarius debeat esse Magister in Theologia, vel Decretorum Doctor, aut aliunde ad hoc privilegiatus. Quodsi autem in Oppido talis non sit, vel Oratori difficile sit ei conscientiam suam aperire, vel hæc aperta jam sit alteri Confessario non graduato, hoc ipsum in Litteris erit significandum, & rogandum, ut alij committatur Dispensationis executio in hunc modum.

Et quia in Oratoris loco nullus reperitur Confessarius in Theologia Magister, vel Canonum Doctor, vel aliàs ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentiæ Vestra providere, & disponere, ut etiam alius exequi valeat.

## S. VII.

De Commissione, & Executione Dispensationum super Impedimentis  
Conjugiorum.

## S U M M A R I U M.

217. Cui committi solet Dispensatio Impedimenti in foro externo?  
218. Quid circa hoc possit Vicarius Generalis Capituli, Sede vacante?  
219. An si Dispensatio commissa est Episcopo, ingerere se possit ejus Vicarius Generalis, aut vicissim, si huic, Episcopus?  
220. An commissio transeat ad Successorem?  
221. Quid operetur absolutio ab Excommunicatione &c. dispensationi præmitti solita?  
222. An executionem Litterarum facere Commissarius possit ante præsentationem illarum?  
223. 224. Quid debeat examinare?  
225. Quomodo, & an judicialiter?  
226. An potestatem istam subdelegare alteri possit?  
227. An aliquid pro Dispensationis executione accipere?  
228. Quid faciendum illi, si reperiat Oratorem laborare alio Impedimento?  
229. Quam vim habeat Dispensatio ad legitimam prolem?  
230. Quid faciendum, si Litteris certa qualitas persone adjecta sit?  
231. Quando dicatur Dispensatio data in forma pauperum?  
232. Ut in hac forma dispensatio detur, requiritur I. ut Oratores sint pauperes.  
233. II. Ut sint miserabiles.  
234. III. Ut de proprio labore, & industria vivant.  
235. IV. Et quidem tantum.  
236. V. Uterque Oratorum debet esse pauper.  
237. VI. Fidem de hoc facere debent attestatione Parochi, & testium.  
238. VII. Præcessisse debet copula, vel hujus suspicio.  
239. VIII. Periculum mortis.  
240. IX. Distare debent 100. ab Urbe milliaribus Italicis.  
241. X. In executione observandæ sunt clausule, expresse in Litteris.  
242. Dispensationes pro foro conscientie expediuntur nomine Majoris Pœnitentiarii.  
243. Diriguntur ad Confessarium ab Oratore eligendum.  
244. Qui, antequam dispenset, examinare debet, an preces veritate nitantur &c.  
245. Dispensatio hæc fit in ipso actu Sacramentali.  
246. Sublata prius occasione peccandi.  
247. Præmissa Absolutione à Censuris.  
248. Injunctâ Pœnitentiâ.  
249. Super Impedimento tantum expresso in Litteris.  
250. Certiorata parte nullitatis ignorâ.  
251. Prole legitimata.  
252. Dispensatio hæc dari debet sine attestatione de ea datâ.

17 **Q**uæritur I. Quid attendendum sit illi, cui Dispensatio, vel Executio Dispensationis à Sede Apostolica committitur pro foro externo? *xy.* Hic, ut munus sibi commissum debito modo impleat, præ oculis habere debet tenorem Litterarum Apostolicarum, atque intelligere, & diligenter observare clausulas illis insertas, in specie sequentia sunt notanda.

1. Committitur Dispensatio plerumque Ordinario Oratorum, vel Vicario Generali, aut Officiali ejusdem: & hinc, ut *suprà n. 171.* dictum est, in Supplicatione exprimi debet Diœcesis, unde orti, vel oriundi sunt Oratores. Solent autem in hujusmodi Litteris Dispensatorijs nomina Officialis, & Vicarii Generalis pro Synonymis accipi; imò si committuntur Dispensationes ultra Montes, v. g. apud nos in Germania exequendæ, in Litteris Apostolicis Vicarii Generales semper appellantur *Officiales*, sitque inscriptio in hunc modum: *Dilecto Filio Officiali Eysbittensi.* Quod est discrimen inter Dispensationes commissas citra Montes, & inter eas, quæ committuntur ultra Montes; nam si committantur citra Montes Vicario Generali, appellatur ille nomine Vicarii, sic: *Dilecto Filio Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus Vicario Generali.* Corrad. *Prax. Disp. Apost. l. 7. c. 4. n. 12.*

2. Vicario Capituli, Sede vacante, non committitur Dispensatio, sed eo casu, uti & quando Oratores nullius sunt Diœcesis, committi illa solet Ordinario viciniori, aut ejus Officiali, seu Vicario Generali. *Garc. p. 6. de Benef. c. 2. à n. 44.* *Franc. Leo Thesaur. For. Eccl. p. 1. c. 10. n. 8.* *Corrad. c. 4. c. n. 11.* Et hinc Litteras Dispensatorias, directas ad Vicarium Generalem Episcopi, Vicarius Capitularis non potest executioni dare, prout de Dispensationibus Matrimonialibus decrevit *S. Congr. Concil. 24. Maji 1621.* de Commissionibus Apostolicis in forma *Dignum*, & alijs *2. Aug. 1631.* Estque hoc verum, etsi is ipse, qui prius fuit Vicarius Episcopi, fuisset confirmatus in Vicarium Capituli; nam neque ipse hujusmodi Dispensationes exequi potest, ut contra *Salas de LL. D. 20. sect. 17. n.*

*Ddd*

17. n. 124. Sanch. l. 8. de Matr. D. 27. n. 32. & alios nonnullos docet, & notoria praxi Datarie confirmat Corrad. l. cit. n. 11. *¶ sed hic.* Estque Dispensatio, casu, quo Littere directe sunt Vicario, seu Officiali Episcopi, à Vicario Capitulari facta, irrita, & nullum Matrimonium, vigore talis Dispensationis contractum, prout resolutum est in *Abulens. Beneficij* 13. Jul. 1597.

219 3. Si Dispensatio per Rescriptum commissa sit Episcopo, non potest ejus executionem suscipere illius Vicarius, & vicissim, si Vicario, non potest se ingerere Episcopus, sed siquidem commissa sit Episcopo, & hic ante presentationem Litterarum objerit, expectare Oratores debent, donec Ecclesia vacanti fuerit de Pastore provisum, vel debent super predictis Litteris petere novam commissionem, quæ de Stylo Curie *Mutatio Judicis* nuncupatur, quæ committatur Ordinario viciniore, ut dictas Litteras exequatur, servatâ aliâ earum formâ perinde, ac si ad ipsum à principio hujusmodi Littere directe fuissent. Et idem erit, si Vicarius Episcopi defuncti cepisset Litteras exequi, nec potuit eas expedire ante obitum sui Episcopi. Corrad. l. cit. n. 22. Eadem *Mutatio Judicis* dari etiam consuevit, quando proprius Oratorum Ordinarius tempore jam impetrati Rescripti longè distat, non relicto Vicario, quando est suspensus, quando suspectus, vel quando sine rationabili causa recusat procedere ad executionem Litterarum. Corrad. n. 25.

220 4. An Successor Episcopi, vel Vicarij, cui commissa est Executio Litterarum, exequi illas possit, pendet ex eo, an commissio facta sit ipsi sub nomine personæ, an sub nomine Dignitatis, & Officij. *Si sub nomine personæ*, commissio cum persona expirat; quia hujus adhæret ossibus, censeturque ejus electa industria. *Si sub nomine Dignitatis, vel Officij*, ad Successorem transit, Priori modo commissio censetur facta, si in Litteris exprimat nomen personæ; posteriori, si in iisdem exprimat nomen Dignitatis, vel Officij. *Wiestner hic n. 135.* *Reiffenstuel Append. n. 298.*

221 5. Solent Oratores in Litteris Dispensatorij absolvi à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, aliisque sententijs, in eum finem, ut rescripti impetrandi capaces fiant; nam casu, quo ireriti essent e. g. Excommunicatione, gratia per ipsos impetrata non valeret *c. ipso Jure 1. de Rescript. in 6.* Notandum autem hic est discrimen, quando Dispensatio petitur super Impedimento Consanguinitatis, vel Affinitatis primi, & secundi gradus, copulâ subsecutâ, & quando petitur Dispensatio super alijs impedimentis; nam in primo casu ad incestuosorum petitionem Executoribus absolute conceditur potestas absolvendi ab Excommunicatione, & alijs

pœnis, quæ in hujusmodi incestuosos per *Constit. Gregorij XIV.* incipit *Sicut antiquus editam Calend. Mart. 1590.* sunt constitutæ. In secundo autem casu Pontifex tantum absolvit ad reincidentiam: quæ absolute propriè non est à Censura; quia per ipsam non Censura, sed effectus duntaxat aliquis Censuræ tollitur. *Palao tr. 29. D. 1. p. 11. S. 2. n. 12.* *Wiestner hic n. 137.* *Reiffenstuel n. 312.*

6. Executor, quicumque deputetur, nullam habet Jurisdictionem, nec potest Litteras exequi, cons. nec dare Oratoribus potestatem contrahendi, antequam Littere Apostolicæ in Originali eidem presententur, etsi aliunde jam sciat, illas fuisse concessas. *Garc. p. 6. de Benefic. c. 2. n. 8.* *Sperell. decis. 85. n. 31.* *Vinc. de Just. l. 1. de Dispens. c. 6. n. 2.* *Reiffenstuel n. 299.* *¶* alij communiter arg. *c. super eo 12. de Appell. ibi, Ex tunc terminus incipit currere, cum Judices contigerit Litteras recepisse.* Et hinc nullum est Matrimonium, quod Oratores contrahunt, licet Dispensationis Litteras jam habeant in suis manibus, & deputatus ad dispensandum Executor ad id dedisset licentiam; sed requiritur, ut eæ Littere prius dicto Executori presententur, & ab ipso videantur, iisque visis gratia Dispensationis ab ipso detur, ut bene *Sanch. l. 8. de matr. D. 30. n. 12.* & *D. 35. n. 18.* Imò in tali casu nulliter contrahentes indigent novis Litteris Dispensationis obtinendis Româ, ut teste *Corrad. Prax. Dispens. Apost. l. 8. c. 1. n. 44. ¶ proindeque*, resolvit *S. Congr. Conc. 12. Jan. 1606.* & patet ex *Trid. sess. 22. c. 5. de reform.* ubi Dispensationes, etiam in forma gratiosa carere dicuntur effectu, nisi prius ab Ordinario cognoscantur.

7. Presentatis sibi Litteris in Originali, Executor debet ante omnia diligenter considerare, & videre, an sint conformes consueto stylo Curie, & an solitas, vel insolitas habeant clausulas. Si enim Littere Stylo Curie non sint conformes, aut insolitas contineant clausulas, suspectæ sunt de fraude, & dolo; cons. executioni dari non debent. *Menoch. de Præsumpt. l. 5. præsumpt. 3. n. 103.* *Gonzal. ad Reg. Cancell. 2. Gloss. 36. n. 86.* *Barbos. l. 2. Vol. 17. n. 151.* *Vinc. de Just. l. 1. de Dispens. c. 6. n. 13.* & colligitur ex *c. quam gravi 6. de crim. fals.*

8. Præterea Executor diligenter in formare se debet super causa Dispensationis, & si preces veritate nitantur, tum primum Autoritate Apostolica dispensare. Ubi notandum discrimen inter Clausulam, *Si ita est, si preces veritate nitantur*, & inter Clausulam, *si preces veritate mihi reppereris.* Nam si prior Clausula Rescripto adjecta sit, valet Dispensatio, etiam si dispensans causæ cognitionem non præmiserit, modò reipso preces veritate nitantur. At si adjecta Rescripto sit Clausula posterior, omnia

sa causa cognitione, Dispensatio invalida est, licet re ipsa veræ sint preces; quia tunc causa cognitio induit naturam conditionis, ut adeo, eâ nondum impletâ, Executori jus dispensandi nondum competat. Garc. p. 6. de Benef. c. 2. n. 265. Guier. l. 2. qq. Can. c. 15. n. 112. Sanch. l. 8. de Matr. D. 35. n. 15. Filiuc. tom. 1. tr. 10. p. 2. c. 10. n. 354. Vinc. de Just. l. 1. c. 6. à n. 246. Wiestner hic n. 138. Reiffenstuel n. 322. & hoc teste sæpius decidit Rota.

225 9. Sufficit autem, si cognitio ista causa sit extrajudicialis, ut cum communi DD. notat Sanch. l. 8. de Matr. D. 35. n. 15. Guier. c. 128. de Matr. n. 10. Perez D. 43. sect. 4. n. 2. Vinc. de Just. c. 6. cit. n. 262. Wiestner n. 139. Reiffenst. n. 324. conf. sufficit, si Executori undecunque precum veritas innotescat. Res clara est, quando Dispensatio committitur pro foro interno; quia in hoc sola partis informatio accipienda est, utpote quæ occultè omnino fieri debet, & solius fori interni Leges sequitur. De Dispensatione commissa pro foro externo ostenditur ex eo; quia in hac etiam cognitio veritatis precum conscientie, & arbitrio Executoris relinquitur, quod cum sit, judicialis cognitio causa non requiritur. Si tamen adesset contradictor, citari pars, & acta in scriptis deberent redigi. Garc. p. 6. de Benef. c. 2. n. 247. Vinc. de Just. c. 6. cit. n. 247. Reiffenstuel n. 326.

226 10. Commissa Dispensationis executio subdelegari non potest, ut communiter DD. notant, qui tamen in ratione istius danda non conveniunt. Corrad. l. 7. prax. Dispens. Apost. c. 6. n. 40. putat, istud ideo fieri non posse, quod electa in hoc censetur fides, & industria personæ, ut indicare videntur verba, Discretionis tue, de qua in his specialia fiduciam obtinemus, & super quo conscientiam tuam oneramus. Sed revera ex his verbis efficaciter nil probatur, cum ipsdem potius monitio, & declaratio officij Executoris denotetur, ut bene advertit P. Wiestner hic n. 141. Quare id melius ducitur ex arg. c. fin. Si ceterum de Offic. Deleg. ubi inhibetur subdelegatio Dispensationis pro Irregularitatibus; quæ dispositio, ut arg. ff. cum pater 77. §. 20. ff. de Legat. 2. notant Abb. in c. fin. cit. n. 2. Felin. n. 8. Laym. n. 5. Pirhing. de Offic. Deleg. n. 12. porrigitur ad casus expressis similes, scilicet eos, qui subiecta ratione afficiuntur. est autem Dispensatio super Impedimento Matrimoniali non minus gravis, quam Dispensatio cum Irregulari. Intelligendum autem hoc est de ipso ministerio Dispensationis; nam pro capienda informatione necessaria Executor alios subdelegare potest, ut cum alijs advertit Corrad. l. cit. n. 41.

227 11. Dispensans intuitu Dispensationis non potest quidquam, etiam spontè ob-  
R. P. Schmalzgrueber L. IV.

latum, accipere, sub Excommunicatione lata Sententiæ, ut in Litteris Apostolicis semper additur. Et intelligendum hoc etiam est de esculentis, & poculentis, quæ paucis diebus consumi possunt. Sanch. l. 8. de Matr. D. 35. n. 11. Corrad. c. 6. cit. n. 15. Vinc. de Just. n. 241. Reiffenstuel n. 316. quia verba sunt generalia, adeoque generaliter intelligenda sunt c. quia circa 22. de privill. Neque aliud probatur ex c. statutum 11. §. insuper de Rescript. in 6. ubi sub inhibitione receptionis munerum, esculenta, & poculenta excepta dicuntur; quia est sermo de Delegato ad lites, cujus commissio, cum ordinariè diu duret, & magni laboris sit, stipendio aliquo digna videtur: quæ ratio non militat in casu præfenti, ubi Dispensationis expeditio brevissima, & facillima est. Notarius tamen pro examinandis testibus, & alijs informationibus accipere potest quartam partem aurei, prout expressè declaravit S. Congr. apud Corrad. l. cit. n. 14. quia præceptum, Litteris Dispensatorijs insertum, non hunc, sed Executorem solum afficit. Imò etiam iste, postquam facta est Dispensationis executio, aliquid gratuitò oblatum accipere, non tamen prætere de potest, eò quod cesset tunc prohibitionis ratio, quæ est, ne Judex muneribus excæcatus iniquè dispense. Sanch. D. 35. cit. n. 13.

12. Quodsi Commissarius, causâ cognitâ, repererit Oratores laborare alio Impedimento, non expresso, Dispensationis Litteras executioni mandare non potest, sed Papæ offerendæ sunt novæ preces, tali Impedimento expresso, ut cum alijs rectè notat P. Wiestner hic n. 142. Si verò examinatis Litteris, & veritate precum, nulum appareat Dispensationis impediendæ impedimentum, statim pronuntiabit suam sententiam, quâ declarat in scriptis, preces esse verificatas, & dispensabit juxta formam Rescripti, suoque nomine subscribet sententiam, tradito partibus Authentico ejus transumpto, ut sic servatâ formâ Trid. (prout in Litteris Dispensatorijs poni solet) inter se Matrimonium ineant. Hac tamen Clausulâ non prohibetur Episcopus remittere Denuntiationes, ut contra Zerol. prax. Episc. p. 1. V. Matrimonium verius docent Sanch. D. 35. cit. n. 19. Guier. c. 128. de Matr. n. 11. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 14. Wiestner n. 146. ex generali potestate, Episcopis circa hoc concessa ab ipso Trid. ut adeo, qui præmissa Dispensatione hac, sine Denuntiationibus coram Parocho, & testibus contrahunt, adhuc dici possint contrahere, servatâ Trid. formâ.

13. Quoad legitimationem prolis, in-  
terest, an suscepta illa sit ante Dispensationem impetratam, vel post, si post, legitima foret, etiam in Litteris Dispensatorijs non adderetur Clausula, Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando. Si ante, videndum,  
Ddd 2 20

an suscepta sit ex fornicatione, an verò ex Matrimonio, ante Dispensationem obtentam invalidè inito. Si ex fornicatione, vi prædictæ Clausulæ proles erit legitima quoad Spirituality tantum. Si ex Matrimonio invalido considerandum, an istud mala utriusque fide contractum sit, an saltem unius bonâ. Si primum, iterum quoad Spirituality solum legitima erit, quoad cætera manebit spuria, nisi Papa dispensaret in radice Matrimonij nulliter contracti, vel cum subditis ipsius dominio temporali subjectis. Si secundum, dispensatione etiam omiſsa, quoad omnia erit legitima favore bonæ fidei, ut Tit. seq. dicitur.

230 14. Si qualitas personæ Oratorum adjecta sit Litteris Dispensatorijs, quòd honesti, nobiles, nobili genere procreati, principales loci, vel de populi principalioribus sint, videndum, an narrativè tantum qualitas ista inferatur in Rescripto, vel in principio tantum, an verò in corpore Rescripti, & tanquam motivum, seu causa movens ad concedendam Dispensationem specificè, vel genericè allegeretur; nam si hoc secundum fiat, quòd indicant verba, *Ut asserunt, ut asseritis, vel asserentes se nobiles* &c. tunc coram Executore hæc qualitas probanda est arg. l. omnes 2. C. de his, qui ven. etat. Sanch. D. 35. cit. n. 25. Gutier. c. 129. n. 13. Barbof. claus. 116. n. 1. Corrad. l. 7. c. 2. n. 118. Vinc. de Just. l. 3. c. 2. n. 118. Wiestner n. 149. Reiffenstuel n. 330. Dicitur autem *Honestus*, qui honestè, & decenter vivit, cujusque familia nullâ turpitudinis notâ, seu vitio laborat. Isidor. l. 2. Etymol. *Nobilis simpliciter*, qui vivit nobiliter, sive abstinet ab his, quæ populares tractare solent. De nobili genere procreatus, cujus majores, aut saltem parentes nobiles fuerunt. *Principales populi*, seu loci, qui in isto, vel populo autoritate, potentia, opibus excellent. Sanch. l. 8. cit. D. 19. n. 6. Gutier. c. 128. n. 13. *at in commissione*, Corrad. à n. 118. cit. Vinc. de Just. n. 132. Wiestner n. 149. Reiffenstuel n. 331. & seqq.

231 Quaritur 2. Quid notandum, quando Dispensatio datur in forma pauperum? *1.* In forma pauperum Dispensatio tunc dari dicitur, quando pro foro externo ex legitima causa gratis dispensatur cum verè pauperibus, & miserabilibus personis, non habentibus sufficientia media ad solvendam taxam, seu compositionem, ut vocant, pecuniariam, quæ in quibusdam Impedimentis exhiberi Officialibus Curie Romanæ solet: adeoque effectus hujus specialis formulæ est, ut dispensati liberentur à solvenda hac compositione.

232 Ut obtineatur in hac forma Dispensatio apud Curiam Romanam, requiritur 1. ut Oratores, qui pro Dispensatione in hac forma impetranda supplicant, sint pau-

peres. Tales autem ad effectum obtinende Dispensationis in hac forma censentur esse, qui ultra sustentationem, statui suo convenientem, non habent, ex quo Compositionem, sive Jura Officialium Curie Romanæ solvant. Alij ad hunc effectum pauperem censent foeminam, quæ Dotem tantam non habet, quanta exigi solet ad nutriendum viro æqualis conditionis extra propriam Consanguinitatem, vel Affinitatem; vir autem, cujus patrimonij substantia talis non est, ut æqualis conditionis uxorem, inter quam, & ipsum nuptiale impedimentum non intercedat, facili non reperiat, ut ad mentem Riccij *prax. aur. tom. 1. decis. 228. n. 8.* tradunt Hurtad. de Matr. D. 16. *difficult. 3. n. 11.* Gobat *Exper. tr. 9. à n. 656.* Alij arbitrio Judicis hoc decidendum relinquunt, qui attenda personarum, & circumstantiarum qualitate arbitrabitur, Sord. de Aliment. tit. 7. q. 9. n. 10. Gonzal. ad Reg. 3. Cancell. gloss. 4. n. 43. Barbof. de Appell. Verb. Jur. V. pauper, n. 4. Vinc. de Just. l. 1. de Dispens. c. 7. n. 70. Reiffenstuel n. 372. nam universaliter ea, quæ à Jure definita non sunt, ac sub certa Regula comprehendendi nequeunt, Judicis arbitrio relinquuntur. l. si servus 1. fin. ff. de Jur. delib.

2. Non sufficit Oratores esse pauperes, sed debent etiam esse miserabiles, ita, ut proprio labore, & industria tantum vivant. Corrad. l. 8. *Prax. Dispens. Apost. c. 5. à n. 4.* Vinc. de Just. c. 7. cit. à n. 72. Ratio est, quia Papa in suis litteris id tanquam conditionem in sensu copulativo requirit, dicens: *Dummodo ipsi sint pauperes, & miserabiles, & ex labore, & industria tantum vivant.* igitur adjectio hæc aliquid operari debet; nam in dictis Litteris nihil frustra apponitur, nihil autem operaretur, si quicumque pauperes, & non miserabiles sperare dispensationem in forma pauperum ex Curia Romana possent. *Conf.* Nam dictio *Miserabiles* per Urbanum VIII. est de novo adjecta, cum antea sufficeret dicere, quòd Oratores essent pauperes, idque ad obvian-dum fraudibus, quibus multi, licet potuerint solvere compositiones, aliæque Jura Officialium, ad solutionem hanc evitandam, emendicato paupertatis testimonio, fingebant se pauperes. igitur per dictionem istam inducitur diversitas, & sic verificari specialiter debet. Ex quo sequitur, quod notat Corrad. l. cit. n. 6. perperam à Delegatis fieri executionem Dispensationum sibi commissarum, si eis non constiterit, Oratores non solum esse pauperes, sed etiam miserabiles.

3. Debent esse miserabiles non quomodocunque, sicut sunt cæci, claudi, diuturno morbo fatigati, pupilli, viduæ &c. etiam divites; sed opus est, ut proprio labore, & industria tantum vivant: & quidem copulativè cum paupertate n. 332. explicatâ,

ad, ut ex hoc suo labore, & industria ultra sustentationem, statui suo convenientem, non habeant, ex quo compositionem, quæ pro Dispensatione in Dataria requiritur, possint pendere. Parum autem interest, quis ille labor, vel industria sit, quâ vitam tolerant. Imò Gobat *tr. 9. cit. n. 658. fn.* notat, in Diocesi Constantiensi ex antiqua consuetudine ad effectum Dispensationis *in forma pauperum*, & gratis impetrandæ pro pauperibus, & miserabilibus personis haberi omnes illos, qui agriculturâ, opificio, vel arte, etiam liberali, ut pictorum, vel Pharmacopolarum etiam est, se, & familiam suam alunt. Addit idem Gobat *n. 661.* pro Helvetijs, etiam Nobilibus, & Senatoria dignitate claris, dispensationes Matrimoniales *in forma pauperum*, & gratis concedi ex speciali Curie Apostolicæ favore consuevisse.

35 4. Oratores, qui impetrare, & Commissarij, qui exequi Litteras Dispensationis, datas *in forma pauperum*, volunt, bene notare debent particulam taxativam *Tantum*, cum dicitur, *Labore, & industria tantum vivunt*. Nam inter eos, qui labore, & industria suâ vivunt, distinguendum est, an præter ea, quæ ex labore, & industria suâ percipiunt, bona aliqua habeant, vel an nulla habeant. *Si nulla habent bona*, & idcirco ex labore, & industria suâ tantum vivunt, tum solum pro pauperibus haberi, & Dispensationis *in forma pauperum* capaces cenferi debent, quando ex hoc suo labore, & industria lucrantur præcisè sustentationem suam honestam; nam si ex partis ita fructibus laboris, & industriae suæ ultra expensas in sustentationem necessariò faciendas superfit aliquid, quo solvere taxam, vel etiam in parte possint, pro omnino pauperibus habendi non sunt, nec liberantur à solvenda hac parte taxæ. *si verò habeant bona alia*, videndum, an ex his bonis suis percipiant, vel saltem, si illa locarent, perciperent tantos fructus, ut absque ulteriori suo labore, & industria per totum, vel per majorem, aut notabilem saltem, v. g. sextam anni partem vivere possint, an verò non percipiant, vel percipere ex locatione possent fructus tantos. *Si primum*, Dispensationem *in forma pauperum* sperare non possunt; quia jam non ex labore, & industria suâ tantum vivunt. *Si secundum*, verè pauperes, & miserabiles ad effectum impetrandi Rescriptum *in forma pauperum* censendi sunt, *idque verum est*, etsi Spem certam, vel jus habeant in futurum acquirendi bona v. g. ex legato, hæreditate consanguineorum, aut fideicommissò; quia à paupertate præsentis non liberat Spes, sed res, nec consideratur jus in Spe, sed in re, cum sola Spes non alat, nec vestiat hominem. Videatur Corrad. *Prax. Dispens. Apost. l. 8. c. 5. à n. 12.* Vincent. de Just. *de Dispens. l. 1. c. 7.*

*n. 15.* Reiffenstuel *Append. n. 379. & seqq.*

5. Ad obtinendam Dispensationem *in forma pauperum*, non sufficit, unum ex Oratoribus esse pauperem, & miserabilem, sed omnino requiritur, ut ambo sint tales, ut contra Gobat *Theol. Exper. tr. 9. n. 659.* advertunt, & Stylo Curie confirmant Corrad. *c. 5. cit. n. 2.* Vinc. de Just. *c. 7. cit. n. 2.* Reiffenstuel *n. 397.* patetque ex ipsa Clausula, quæ cum ambos Oratores *in plurali* pauperes, & miserabiles asserat, in plurali verificari debet; nam numerus pluralis saltem dualitatem requirit, nec uno contentus est *l. ubi numerus 12. ff. de testib.*

6. Ne falso paupertatis prætextu Officiales Curie facile sportulis suis defraudentur, juxta Instructionem ab eadem Anno 1658. & postea 1671. die 6. Oct. transmissam, & formam relatam à laudato Corrad. *n. 12.* Oratores pro Dispensatione super Impedimento nuptiali *in forma pauperum* impetranda supplicantes, eidem Curie fidem facere debent attestazione proprii Parochi, & depositionibus duorum, vel trium testium fide dignorum coram Episcopi Officiario, vel Vicario Generali legitime examinatorum, quod pauperes, & miserabiles sint, ut ex labore, & industria sua tantum vivant.

7. Dispensationem *in Forma pauperum* Curia Romana ob nullam aliam causam dare solet, quàm ob copulam, vel suspensionem copulæ inter laborantes Impedimento habitæ, vel potius ob mulieris infamiam, & scandala verisimiliter inde secutura, nisi Matrimonium inter eos sequatur. Corrad. *c. 5. cit. Vinc. de Just. c. 7. n. 2.* Reiffenstuel *n. 369.* Sufficit autem pro valore Dispensationis, si præcessit suspicio etiam falsa incestus inter Oratores commissi: imò, ut nuperimè Reverendiss. & Illustrissimus Abbas Josephus Melchiori, vir Styli, quem Curia Romana tenet, ex longissimo tempore peritissimus, super Dubio hoc interrogatus, respondit, suspicio incestus ex eo datur, quando pauperes, aliive notæ non magnæ homines pro Dispensatione in secundo Gradu Romanam recurrunt, eamque tandem urgendo, & instando evincunt, ut adeo, etsi incestum revera commissum Oratores in supplicatione sua non expriment, imò extra Confessionem verecundiæ causâ negent, Ordinarius, cui executio Litterarum committitur, sine scrupulo dispensare possit.

8. Additur in iisdem Curie Romanæ Litteris quod Oratorum utriusque, vel uni saltem ex incestu, vel suspitione incestus imminet periculum mortis, licet de hoc periculo in Supplicatione non meminerint Oratores, imò etsi hodie in Germania incestus, in secundo gradu æquali commissus, morte non puniatur; nam esto, in Germania poena ista à Tribunalium usu recesserit, Le-  
Ddd 3 gibus

gibus tamen illa sancita est, & eadem in incestuosos animadverti aſſolet in alijs Provincijs: ob quam cauſam Formulæ iſtius Reſcripti antiquiſſimæ etiam mortis addiderunt periculum, non quod Pontifex ſemper periculum iſtud ſupponat, ſed quia à conceptis ab antiquo Formulis S. Sedes recedere nec ſolet, nec debet; cùm enim rerum, poenarumque olim ſtatutarum circumſtantia mutantur identidem, nec idem omnibus Provincijs mos ſit, ſi itidem S. Sedes mutaret ſuorum Reſcriptorum formulas, quorum tandem, & in quod Chaos deveniretur? Adde, quòd etiam in Germania intercedere præſumatur periculum mortis ſaltem æquivalenter; cùm enim honor, & vita pari paſſu ambulent, ita contrahentes autem in ſecundo gradu ob ſuſpicionem inceſtus ſe exponant periculo infamiae, eo ipſo ſe etiam æquivalenter cenſentur exponere periculo mortis. Ita idem Illuſtriſſ. Abbas in allegato Reſponſo.

9. Distinguere etiam Curia Romana ſolet inter gradus, quibus ſe invicem Oratores attinent, & pro illorum varietate facilius, vel difficilius ab actuali ad Urbem accēſſu diſpenſat; nam cum ijs, qui in quarto gradu ſimplici, vel in tertio, & quarto mixto ſe attinent, diſpenſat ita, ut pro remotione Impedimenti ad Urbem non teneantur accedere perſonaliter, quamvis intra centum milliaria Italica circa Urbem ſiti ſint. Cum ijs autem, qui in tertio ſimplici, vel ſecundo, & tertio mixto conjuncti ſunt, abſque eo, quòd Urbem perſonaliter accedant, tantum diſpenſat, ſi ultra dicta 100. milliaria ab ea diſtent. Ij verò, qui primo, vel ſecundo, aut ſecundo æquali, vel tertio, & tertio conjuncti inveniuntur, pro Litteris obtinendis *in forma pauperum*, non obſtantibus quacunque paupertate, & diſtantiā ab ipſa Romana Curia, ad eam perſonaliter debent accedere, ferentes ſecum atteſtationem Ordinarij de eorum paupertate: nec remittitur eis iter Romanum regulariter loquendo, etſi mendicando illuc ire, vel redire debeant, ut ex praxi, & Stylo Curiae docet Corrad l. 8. prax. Diſp. Apoſt. c. 5. n. 26. ubi tamen ꝑ. Vidimus addit, Papam ſubinde ex ſpeciali, & extraordinaria gratia pro Oratoribus, ſaltem Ultramontanis, expedire Litteras Diſpenſationum *in forma pauperum*, etſi in dictis propinquis gradibus conjuncti, Urbem perſonaliter non accedant.

10. Ut verò Commiſſarius, cui executio Litterarum *in forma pauperum* demandatur, ritè diſpenſet, debet obſervare clauſulas in Litteris allegari ſolitas, vi quarum debet. 1. Oratores, ſi cohabitent, à ſe invicem ſeparare. 2. Imponere ipſi Poenitentiam publicam, ſeu talem, quæ communitati palam innotefcat, ita ut alijs ad exemplum, & terrorem eſſe valeat. 3. Ipſi

Oratori operam perſonalem ad ſervitium Eccleſiae alicujus injungere, per tres ſaltem meſes exercendam. 4. De his peractis atteſtationem habere. Et tum demum ꝑ. cum iſdem Oratoribus diſpenſare, idque gratis; nam ſi aliquid pro Executione accipiat, præter reatum culpæ, & poenarum etiam nulliter agit, ipſaque Diſpenſatio, & inde ſecutum Matrimonium nulla ſunt, ut patet ex Forma Litterarum, quas *in forma pauperum* pro huiusmodi Diſpenſationibus dare Curia Romana aſſolet.

Quæritur ꝑ. Quid obſervandum circa formam, & clauſulas Diſpenſationis in foro interno? ꝑ. 1. Hæ expediuntur nomine majoris Poenitentiarj, qui S. R. E. Cardinalis eſt, ſuper omnibus, & ſolis Impedimentis occultis, Jure tantum Eccleſiaſtico dirimentibus, vel impediētibz tam ad contrahendum Matrimonium, quam ad remanendum in contracto, Vinc. de Juſt. l. 1. de Diſpenſ. c. 8. n. 29. cum alijs. Excipitur Impedimentum Conſanguinitatis; nam ſuper iſto ante contractum Matrimonium S. Poenitentiarj diſpenſat nunquam, poſt contractum verò in tertio, & quarto gradu, ſi Conſanguinitas eſt occulta, minimè verò in primo, vel ſecundo, quantumvis occulta illa ſit, prout ex Stylo, & praxi patet.

2. Diriguntur Litteræ Diſpenſatoriae ad Confeſſarium Oratorum, cum Inſcriptione, *Diſcreto Viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctōri, ex approbata ab Ordinario per latorem præſentium ad infra ſcripta ſpecialiter eligendo*: quibus verbis innuitur qualitas perſonæ delegatæ, ſive illarum Executoris; nam 1. debet eſſe Magiſter in Theologia, vel Doctōr Juris Canonici, niſi ſpeciale privilegium à Sede Apoſtolica habeat, quale habet Societas JESU, ut gradus in Litteris nullus requiratur. 2. Debet eſſe approbatus ab Ordinario Dioceſano pro Confeſſionibus poenitentium excipiendis. 3. Debet ad hoc ab Oratore eſſe ſpecialiter electus; in hac tamen electione non prohibetur idem Orator variare. Sanch. l. 2. de Matr. D. 27. n. 40. Perez D. 48. de Matr. ſect. 5. n. 7. Dian. p. 8. tr. 3. reſol. 104. Wieſtner n. 154. Ruditas perſonæ electæ, modò qualitates prædictas habeat, valori diſpenſationis non obſtat, ſi Litterarum tenorem in executione obſervet. Sanch. D. 34. n. 17. Perez n. 6. Wieſt. n. cit. Reiffenſtuel n. 450.

3. Executor, antequam vi talium Litterarum diſpenſet, debet explorare, & videre, an preces veritate nitantur, videlicet, an contractum reiſa ſit Impedimentum, an hoc, ut præfertur, occultum ſit, an Matrimonium cum eo initum revera ſine ſcandalo ſeparari nequeat, an cauſa finalis alia allegata ſubſiſtat &c. Sanch. D. 34. cit. n. 21. Gobat tr. 9. n. 168. Wieſtner n. 155. Reiffenſtuel n. 453. Ad Examen autem illud



istud non est opus, ut adhibeatur Notarius, vel testes, sed sufficit, si Executor constitutus examinet Oratorem solum, cui dein, etiam sine Juramento, fidem adhibere, & dispensationem impertiri, si preces veritate niti repererit, debet. Sanch. n. 21. cit. Pont. l. 2. de Matr. c. 21. n. 16. Vinc. de Just. l. 1. c. 8. n. 127. Reiffenstuel n. 454. & alij communiter. Ratio est, quia cum hæc dispensandi facultas committatur in solo secretissimo conscientie foro, illius fori Legibus aptari debet. Dixi, si preces veritate niti repererit; nam si invenerit contrarium, dispensare Executor non potest; quia veritas precum est conditio requisita ad valorem Dispensationis, conditione autem non servata, invalida est Dispensatio arg. l. diligenter 5. ff. mandati. Et idem est, si Confessarius, cui delegata est Dispensatio, aliunde, quam ex Confessionis Sacramento, novit, preces allegatas in Litteris esse falsas, aut tacitam veritatem necessariò exprimendam; nam si hoc sciat, exequi non debet, nec potest Litteras, quamvis poenitens eas veras esse mentiendo, vel opinando asserat. Sanch. l. cit. Lezan V. Littere Apostolicæ n. 23. Diana p. 8. tr. 3. resol. 108.

45 4. Dispensatio ista fieri hodie debet in ipso actu Sacramentalis Confessionis, & non aliter, prout liquet ex tenore Litterarum modernarum. Corrad. l. 8. Prax. Dispens. Apost. c. 10. n. 31. Vinc. de Just. c. 8. cit. n. 105. & seqq. Gobat. in Quinar. tr. 5. c. 37. n. 176. Wiestner n. 157. Reiffenstuel n. 457. Et hinc attendi non debet quoad hoc Sanch. n. 29. quia hic scripsit ante novum styllum; nam stylo antiquo, quia clausula hæc Litteris non inferebatur, ad valorem Dispensationis, per Confessarium faciendæ pro foro interno, probabiliter non requirebatur Confessio Sacramentalis. Procedit autem hoc, etiamsi poenitens jam prius alteri rite confessus, & ab hoc absolutus à peccatis suis fuisset, ac proinde nullum haberet in præsens peccatum mortale; adhuc enim Confessio Sacramentalis requiritur; & ratio est, quia Clausula, quæ de stylo hodierno Litteris additur, in ablativo ponitur, Audita prius Sacramentali Confessione; cons. conditionem importat l. à testatore 109. ff. de condit. & demonstr. conditio autem dat formam actui.

46 5. Si dispensetur ad remanendum in Matrimonio cum uxore putativa, cujus consanguineam Orator ante ejus contractum cognovit, Dispensatio dari non potest valide, nisi sublata prius occasione peccandi, ut liquet ex Litteris, circa hoc Impedimentum dare solitis, & notat Gobat n. 190. Wiestner n. 158. Reiffenstuel n. 462. Hinc si Confessarius, cui demandata est executio, ex audita Confessione prudenter cognoscat, occasionem adhuc subsistere, debet ante omnia mandare poenitenti, ut occasio-

nem proximam tollat, & interea, dum sublata illa sit, Dispensationem differre. Sublata autem occasio, & periculum proximum censebitur, si Orator Consanguineam uxoris putativæ, cum qua, quia in eadem domo existerat, sæpius solebat peccare, è domo dimiserit, vel si illa quidem in eadem domo persistat, emendatio tamen jam est secuta, ita, ut periculum proximum subesse non amplius censeatur. Reiffenstuel n. cit.

6. Præmittenda Dispensationi est absolutio à quibus Sententijs, Censuris, ac poenis Ecclesiasticis pro vice, ac tempore, quo super impedimento dispensatur, in forma Ecclesie consueta, illa scilicet, quæ Ecclesia in absoluteione sive à Censuris, sive à peccatis uti consuevit. Bonacin. D. 1. de LL. q. 2. p. 2. n. 19. Gobat. n. 207. Wiestner n. 159.

7. Circa Poenitentias injungendas distinguendum est, an Orator peccatum suum in Confessione anteriore jam expiavit, vel non; nam si primum, non est opus injungere pro illo excessu poenitentiam. Si secundum, injungi debet, sed minui potest, considerata qualitate peccati, ejus frequentia, & maxime dolore peccati, quem de peccato à se commisso concepit: item si Dispensatio fieret tempore Jubilæi. Gobat n. 208. Wiestner n. 160. Excipitur Confessio menstrua; hanc enim Confessarius temperare pro suo arbitrio nequit, & loco illius bimestrem, vel trimestrem injungere, ut notat Reiffenstuel n. 466. & patet ex forma consueta Litterarum, in quibus determinatè præcipitur, ut dispensato injungatur Confessio per totam vitam ad minimum semel in mense peragenda.

8. Dispensatio hæc illud solummodo Impedimentum tollit, super quo petita est arg. c. inter dilectos 6. §. ceterum de fid. Instrum. Gobat n. 238. Wiestner n. 162. Reiffenstuel n. 471. Hinc si Confessarius præter expressum in Litteris Impedimentum, etiam alio poenitentem laborare advertat, dispensare nequit, etsi bona fide, & ignorantia invincibili illud exprimere omiserit poenitens; quia per Litteras concessa ipsi est potestas limitata, Dummodo --- aliud Canonicum non obstat Impedimentum.

9. Antequam de novo contrahatur Matrimonium, mulier de nullitate prioris consensûs certiorari debet, sed ita cautè, ut Oratoris delictum nusquam detegatur. Ipse autem consensus, si Matrimonium prius contractum est in facie Ecclesie, renovari potest sine Parocho, & testibus, prout dictum est Tit. 3. n. 120. & seqq.

10. Quoad legitimationem proles videndum, an proles, de cujus legitimitate quaeritur, sit nata post Matrimonium, vigore Dispensationis contractum, an ante illud. Si primum, legitima erit pro utroque foro, etiamsi legitimationis in Rescrip-

to nulla mentio fuisset facta; quia jam suscepta ponitur ex justis nuptijs. *Si secundum*, iterum distingui debet, an suscepta sit ante, vel post Matrimonium prius putatitium. *Si ante*, in solo foro conscientiae habebitur pro legitima, ac proinde casu, quo detegeretur postea Impedimentum, favor Dispensationis cessaret. *Si post*, considerandum, an mala utriusque fide contractum sit Matrimonium, an solum unius bonâ. *Si hoc alterum*, pro utroque foro legitima erit proles. *Si prius*, iterum legitima tantum erit pro foro interno. P. Wiestner n. 165. § 166.

252 11. Factæ Dispensationis nulla danda est attestatio, neque litteræ Oratori restituendæ, sed statim lacerandæ, vel alio modo corrumpendæ sunt: si restituerentur Oratori, huic nihil prodesse (intellige, in

foro externo) & Confessor, si non laceratas afferaret, graviter peccaret, & incurreret Excommunicationem latæ Sententiæ, ut patet ex formula Litterarum, ibi *Præsentibus laniatis, quas sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita, ut nullum earum exemplum extet.* Litteras tamen illas ita laceratas ad usum aliquem materialem penes se retinere executor posset, ut cum Filiiuc. tr. 10. p. 2. c. 10. n. 357. notat Gobat n. 275. Item potest eas describere, & copiam pro sua, vel aliorum instructione retinere; quia illa verba, *ita, ut nullum earum exemplum extet*, prohibent tantum Copiam authenticam, in debita Juris forma factam, quæ ad probandum pro foro externo serviat. Reiffenstuel n. 483.

## §. VIII.

## De Matrimonij invalidè contracti Ratificatione.

## S U M M A R I U M.

253. Ut revalidetur Matrimonium invalidè contractum, requiritur novus consensus.  
254. 255. 256. Qui externus esse debet.  
257. 258. 259. Et utriusque putatitij conjugis.  
260. 261. 262. 263. Nullitas Matrimonij debet utrique esse nota.  
264. Non tamen causa nullitatis.  
265. Solvuntur objectiones.  
266. An consensus utriusque sit etiam necessarius, quando revalidandum est Matrimonium nulliter ex defectu consensus, fide, per mentem, vel errorem præstiti?

267. Rationes dubitandi.  
268. Deciditur Affirmativa.  
269. Probatur.  
270. Respondetur ad opposita.  
271. 272. 273. Qualiter pars ignorans nullitatem Matrimonij certificari de illa debeat?  
274. 275. Quæ sint partes Confessarij, si advertat adesse impedimentum ignoratum à conjugibus putatitij?  
276. 277. An ad revalidandum Matrimonium, invalidè contractum, de novo requiratur præsentia Parochi, & testium?

253 **Q**uaritur 1. An, & qualis consensus requiratur, ut ratificetur Matrimonium, quod prius fuit initum invalidè? *Certum est*, requiri novum consensum ejus, cuius prior consensus illegitimus fuit, & talis fuisse apparet ex Impedimenti præexistentis acquisitâ novâ notitiâ.

254 *Dubium est*, an sufficiat novus hujusmodi consensus merè internus? *Ratio dubitandi est*, quia hic solus videtur pertinere ad substantiam Matrimonij ex Rescripto Innocentij III. c. *quæ 25. de Sponsal.* ubi hic Summus Pontifex disertè, *Matrimonium*, inquit, *in veritate contrahatur per legitimum viri, & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de presenti.* Quod maximè locum habere viderur in Matrimonio, si nulliter illud contractum sit ob defectum consensus interni tantum; nam hoc posito, nihil amplius viderur desiderari ad Matrimonium.

255 *Sed dicendum*, legitimum Matrimoniale consensum exprimendum necessariò esse verbis, vel alijs signis externis. Ita S. Thom. in 4. dist. 40. art. 4. Scot. *ibid.* dist. 33. q. un.

Sylv. v. *Matrimonium* 3. q. 2. dist. 6. Navar. *Man. c. 22. n. 47. § 30.* Sanch. l. 2. de Matr. D. 35. n. 3. & teste P. Wiestner præcipui nominis TT. ac Icti. Sumitur ex c. *duobus 1. de Spons. duor.* ubi S. Augustinus disertissimè ait, *Fidem consensus conjugalis esse, quando, etsi non stringit manum, corde tamen, & ore consentit ducere, & mutuo se concedunt unus alteri, & mutuo se suscipiunt.* Ratio est, quia Matrimonium est contractus humanus, & quidem, si inter Fideles sit initus, Sacramentum; ad utrumque autem necessariò requiritur signum sensibile; ergo &c.

Ad c. *tue* pro Ratione dubitandi al-<sup>256</sup> latum dico, ibi solum ostendi, ad Matrimonium non requiri verba formalia, sicut requiruntur ad alia Sacramenta; nam virtualia saltem requiri, patet ex ratione Contractus, qui iniri nequit, nisi inter duos, sibi invicem manifestantes consensum. Ad *Conf.* Verba, & signa præcedentia, quibus manifestabatur consensus fictus, non possunt esse signa consensus veri postea secuti, cum ad hunc significandum non apponantur.

Quæ-

<sup>49</sup> Queritur 2. An ratificatio conjugij prius invalidè initi fieri debeat novo consensu utriusque, an verò sufficiat consensus ejus dumtaxat, qui Impedimenti præexistentis, & per Dispensationem sublatis notitiam habet? Sufficere consensum ejus, qui Impedimento sublato per dispensationem, notitiam illius habet, docent aliqui, suppressis nominibus relati à Sanch. l. 2. de Matr. D. 35. n. 1. Nituntur 1. textibus c. proposuit 2. & c. fin. de Conjug. Servor. ex quorum dispositione ratificatur conjugium, cum ancilla ignoranter ininitum, quando ingenuus, servili illius conditione cognita, verbo, aut facto, puta, affectu conjugali ad ipsam accedendo, consenserit. 2. l. si quis 27. & l. eos, qui 65. ff. de Rit. Nupt. juxta quas ejusmodi conjugia, sublato Impedimento, solâ alterius in pristino consensu perseverantia convalescunt. 3. Ratione: quia primus in Matrimonium consensus fuit conjugalis; nam eo animo præstitus fuit, ut contraherent Matrimonium; igitur sufficit, ut Impedimento per Dispensationem sublato, non revocetur.

<sup>258</sup> Sed dicendum, requiri novum utriusque consensum. Ita S. Thom. in 4. dist. 40. q. 2. art. 4. ad 6. Scot. ibid. dist. 35. q. 2. n. 8. respondeo q. primus consensus, Host. in c. 1. de eo, qui duxit &c. pr. Innoc. ibid. n. un. Ancharan. n. 4. Alex. de Nevo n. 15. Sylv. V. Matrimonium 6. q. 5. dist. 2. & V. Matrimonium 8. q. 2. dist. 6. Navar. Man. c. 22. n. 47. § 80. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 4. pr. n. 5. Henriq. l. 12. de Matr. c. 1. n. 7. Sanch. D. 35. cit. n. 2. Gutier. de Matr. c. 47. n. 5. Pont. l. 4. c. 24. n. 2. Bosco D. 12. de Imped. Matr. sect. 14. concl. 2. Wiestner hic n. 174. Reiffenstuel Append. n. 585. & sequuntur passim RR. Ratio est, quia consensus prior ob defectum habilitatis ex parte utriusque fuit nullus; igitur, perseverare moraliter dici nequit cum perseverantia supponat existentiam. Conf. Si ambo conjuges prorsus nullum habuissent consensum ad contrahendum Matrimonium, ad illud revalidandum requiretur consensus utriusque; ergo etiam si consenserunt quidem, sed invalidè, ac nulliter; quia nulliter, seu invalidè factum, & non factum, seu invalidum esse, & non esse paria censentur l. quoties 6. ff. qui satisd. cogant.

<sup>159</sup> Neque obstant Argumenta opposita. Ad 1. Etiam eo casu Sanch. D. 36. n. 10. & Pont. l. 4. de Matr. c. 24. n. 1. volunt consensum, sublato, aut detecta alterius conditione servili, renovandum ab utroque verbo, aut facto. Ad 2. Covar. l. cit. & Sanch. D. 35. n. 5. Leges cit. explicant de perseverantia in eadem voluntate, denuo expressâ per supervenientem copulam affectu conjugali habitam, aut per alia signa externa. Ad 3. Ratio illa probat, ex parte neutrius renovandum consensum esse, sed

R. P. Schmalagrueber L. IV.

sufficere, ut jam datus, & ob impedimentum nullus, non revocetur.

Queritur 3. An, ut hac mutui consensûs renovatione revalidetur Matrimonium, necessarium sit, ut prius initi nullitas utrique innotescat? Innocentius in e. 1. de eo, qui duxit &c. n. 1. Angel. V. Matrimonium 3. imped. 4. n. 10. Sot. in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. & dist. 29. q. 2. art. 1. dub. ult. Veracruz Specul. p. 1. art. 44. concl. 3. Barth. à Ledesm. dub. 17. de Matr. fol. 1274. §. sed animadvertendum, & dub. 21. concl. 5. Henriq. l. 11. de Matr. c. 3. n. 6. Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 220. n. 2. cum nonnullis alijs putant, hoc non esse necessarium, sed sufficere, quòd Impedimenti per Dispensationem sublatis consensu ab altero, id ignorante petat, ut pro sua consolatione se in conjugem de novo recipiat, & annuentem vicissim in conjugem ipse recipiat, sicque se sibi mutuo tradant.

Fundantur 1. quia, sublato Impedimento, sunt personæ habiles ad Matrimonium contrahendum; igitur ejusmodi consensu de novo posito, verè evadunt conjuges. 2. Si post Sponsalia, cum Impedimento occulta inita, hoc per Dispensationem sublato, sequatur carnalis copula animo conjugali, antiquo Jure, & nunc, ubi Tridentinum receptum non est, verum fit Matrimonium; ergo idem dicendum etiam in præsentî casu. 3. Hic error, ut supponimus, non est error personæ, nec conditionis, sed est error Juris, quo conjuges putant, se Matrimonio junctos esse, cum non sint; soli autem duo priores Matrimonium vitiant; ergo &c. 4. Consensus, qui ad ineundum Matrimonium semel verè datur, moraliter semper perseverat, donec revocetur arg. c. fin. de Procurat. & l. stipulatio 1. §. qui præsens 1. ff. de V. O. ergo etiam perseverat in illo, qui consensum ex ignorantia impedimenti, & bona fide dedit.

Sed dicendum, ut Matrimonium consensûs renovatione convalescat, ejus prius invalidè contracti nullitas, non tamen causa istius utrique debet innotescere. Ita Sylv. V. Matrimonium 8. q. 2. dist. 2. Abul. in l. 1. Reg. c. 2. q. 36. Navar. Man. c. 22. n. 33. Sanch. l. 2. de Matr. D. 36. n. 4. Gutier. de Matr. c. 47. à n. 4. & c. 128. n. 22. Conink D. 34. n. 90. Pont. de Matr. l. 4. c. 25. à n. 2. Hurtad. D. 3. difficult. 2. p. 7. §. 2. n. 3. Tamburin. l. 9. tr. 4. c. 7. §. 2. n. 3. § 6. Bosco D. 12. de Matr. Imped. sect. 14. concl. 2. Wiestner hic n. 176. Reiffenstuel Append. n. 587.

Ostenditur 1. ex Formula Litterarum 263 quæ ex S. Pœnitentiaria dari solent pro Dispensationibus in Matrimonio invalidè contracto, in quibus expressè requiritur, ut pars nullitatem ignorans de eadem certioretur, ibi, Muliere de nullitate prioris consensûs certiorata, 2. Ex Diplomate Cruciatæ,

Ecc

ta,

te, quo istius Commissario Generali datur potestas dispensandi cum ijs, qui igno-  
 ranter in gradu prohibito contraxerunt, &  
 additur, ut hoc fiat, altero, Impedimentum  
 ignorante, prius de nullitate prioris Matrimonij  
 certificato. 3. Ex Responso Clementis VIII.  
 qui ut ex Comitoli, Responso, mor. l. 1. q. 120,  
 refert Pont. l. 4. c. 24. n. 4. ad casum, quo  
 Matrimonium ob defectum consensûs ex  
 parte mulieris invalidè contractum erat, ut  
 illud ratificaretur, disertè requisivit novum  
 consensum utriusque, admonito marito de  
 Matrimonij, quam ignorat, nullitate. 4.  
 Ex ratione; quia renovatio consensûs, ut  
 Matrimonium inducat, procedere necessa-  
 riò debet ex intentione efficiendi Matrimo-  
 nium; ille autem, qui credit, Matrimonium  
 suum prius initum validum esse, novo suo  
 consensu in novum ejus contractum non  
 consentit, sed tantum renovat, & ratificat  
 prius initum, quod cum nullum sit, ejus-  
 modi consensu ratificari, & revalidari non  
 potest, cum nihil sit volitum, nisi quod co-  
 gnitum, & actus agentium ultra intentionem  
 illorum non operentur. 5. Nihil magis con-  
 trarium consensui est, quam error l. si per  
 errorem 15. ff. de Jurisdic. & l. nihil 116.  
 pr. ff. de R. J. atqui is, qui novo consen-  
 su ratificat Matrimonium, quod credit esse  
 validum, in personam consentit ex errore,  
 quo credit sibi novum contractum non esse  
 possibilem; ergo &c.

Dixi, Non tamen causa illius; nam cau-  
 sam nullitatis detegere non est necessarium,  
 imò nec consultum, præsertim si causa sit cri-  
 men, ut patet ex formæ in S. Poenitentiarie  
 consuetæ verbis: Sed ita cautè, ut Latoris  
 delictum nusquam detegatur. Ratio est, quia  
 hujusmodi manifestatio criminis non est ne-  
 cessaria ad revalidationem Matrimonij, &  
 plurimorum gravissimorum incommo-  
 dorum occasio esse posset. Imò quia hujusmodi  
 mala, puta infamia, periculum vitæ, sui des-  
 titutio, desertio prolis susceptæ &c. non-  
 nunquam timeri possunt ex sola manifesta-  
 tione nullitatis Matrimonij, etiam causâ nul-  
 litatis non detecta, juxta Sanch. l. 2. de  
 Matr. D. 36. n. 8. Palao D. 3. p. 7. §. 2. n. 4.  
 Tambur. §. 2. cit. n. 7. Carden. Crif. Theol.  
 Dissert. 2. c. 8. art. 13. q. 3. n. 676. Gobat in  
 Quinar. tr. 5. c. 37. n. 132. §. n. 245. Sporer  
 de Matr. c. 2. sect. 2. n. 460. Wiestner hic n.  
 191. & alios, pars, sciens nullitatem Ma-  
 trimonij, sequi posset Sententiam contrariam,  
 quia ex autoritate plurium DD. supra ad-  
 ductorum probabilis verè est, & renovato  
 ex sua parte consensu post Impedimentum  
 remotum, Matrimonio uti citra manifesta-  
 tionem nullitatis, & obtentum post hanc  
 ab altera parte novum consensum; quia ejus-  
 modi extrema necessitas cohonestat usum  
 opinionis, cui in ordinarijs casibus, & cir-  
 cumstantijs locus non est.

Neque obstant Argumenta contraria

n. 261. posita. Ad 1. patet ex dictis n.  
 262. nam consensus, quo revalidatur Ma-  
 trimonium, invalidè initum, poni debet  
 cum intentione contrahendi denuo, quam  
 intentionem habere non potest, qui nescit  
 Matrimonium ante contractum fuisse invali-  
 dum. Ad 2. etiam copula subsequuta tali  
 casu non sufficit; quia non fit animo con-  
 trahendi Matrimonium, sed utendi contra-  
 cto. Unde ut ex ea præsumatur Matrimo-  
 nium, utraque pars scire debet, quòd  
 Matrimonium nulliter contractum sit: &  
 sic non est paritas cum casu Antecedentis.  
 Ad 3. hic error reducitur ad errorem per-  
 sonæ; putat enim conjux, nullitatem Ma-  
 trimonij sui ignorans, se consentire in suam,  
 cum revera non sit sua. Imò est major er-  
 ror, quam personæ, cum ita errans integram  
 Contractus substantiam ignoret, & profusus,  
 quid agat, nesciat. Ad 4. Argumentum  
 hoc nimium probat; probat enim, quòd  
 etiam ex parte illius, qui post matrimonium  
 contractum in notitiam Impedimenti venit,  
 hoc remoto, non sit necessarius novus con-  
 sensus, sed sufficiat, quòd nunquam revo-  
 catus moraliter perseveret. Igitur in for-  
 ma Diss. Ant. consensus semel verè datus  
 perseverat, donec revocetur, si fuit vali-  
 dus, Conc. si fuit invalidus, Neg, tum enim  
 idem est, acsi nunquam existisset; cons-  
 perseverare non potest.

Quæritur 4. An consensus utriusque  
 etiam sit necessarius, quando revalidandum  
 est Matrimonium contractum nulliter ex de-  
 fectu consensûs, sicut, per metum, vel er-  
 rorem præstiti? Host. in c. dilectus 24. de  
 Sponsal. V. contrario, Joan. Andr. ibid. n. 7.  
 Ancharan. n. 3. Alex. de Nevo n. 18. fin.  
 Sylv. V. Matrimonium 8. q. 2. dist. 6. & q. 11.  
 dist. 4. Navar. Man. c. 22. n. 51. §. 80. Sanch.  
 l. 2. de Matr. D. 32. n. 9. Conink D. 24. n.  
 54. §. 90. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 6. n. 1.  
 Bossius de Matr. c. 2. n. 38. Tamburin. l. 8.  
 tr. 4. c. 7. §. 1. n. 5. §. 9. putant sufficere,  
 si is, qui prius legitime non consentit, no-  
 vum consensum ponat, & propterea pu-  
 tant, hoc casu non requiri notitiam nullita-  
 tis, nisi ex parte ejus, qui debet novum  
 consensum ponere.

Fundantur 1. quia ad valorem Ma-  
 trimonij non requiritur coexistentia con-  
 sensûs utriusque actualis, sed sufficit mor-  
 talis, quæ habetur, quando consensus ab  
 uno præstitus tamdiu non revocatur, usque  
 dum etiam alter ponat consensum; hoc au-  
 tem fit in casu posito; ergo &c. 2. Bo-  
 num est Argumentum à Matrimonio Spiritu-  
 ali ad carnale; sed Matrimonium Spiritu-  
 ale, seu Professio Religiosa, invalidè  
 edita ob defectum atatis, aut liberi con-  
 sensûs, novo, ac legitimo consensu profi-  
 tentis convalescit, quantumvis iste non  
 renovetur ex parte Religionis, imò licet ista  
 nullitatem omnino ignoret, 3. Moraliter

perseverantia mandati sufficit, ut Procurator nomine mandantis validè contrahat Matrimonium *c. fin. de Procur. in 6.* ergo moralis perseverantia consensus ab uno verè præstiti sufficit, ut alter, qui fide consentit, possit ponere consensum verum, & sic Matrimonium redintegrare. 4. Electio ad Ecclesiam ritè facta confirmatur, si consensu electorum nondum revocato, Electus in sui Electionem consentire velit *c. cum inter 21. de Elect.* ergo confirmabitur etiam Matrimonium, si ad consensum, ab uno præstitum, subsequatur consensus alterius verus. 5. Cæteri contractus, si consensui unius, actu præterito, sed moraliter adhuc perseveranti, ex intervallo accedat consensus alterius, perficiuntur *l. stipulatio 1. §. qui presens 1. ff. de V. O.* sequitur autem Matrimonium naturam reliquorum contractuum; ergo &c.

268 Sed etiã Sententia hæc admodum probabilis sit, sensui tamen Ecclesiæ, & rationi magis conformis videtur, quæ hoc casu requirit novum consensum, & scientiam nullitatis etiam ex parte illius, qui antea posuit novum consensum. Ita Felin, *in c. ex parte 33. de Rescript. n. 11.* Palacios *in 4. disp. 27. D. 1. fol. 566. col. 2.* Barth. de Ledelin, *de Matr. aub. 10.* Comitoli, *l. 1. Respons. mor. q. 120.* Pont. *l. 4. c. 25. n. 2.* Hurad. *D. 3. de Matr. difficult. 9. n. 31.* Palao *D. 3. p. 7. §. 1. n. 7.* Restensuel *Append. n. 607.* & inclinat P. Wiefner *hic n. 189.* quamvis addat, hunc, & duas priores quaestiones dignissimas esse decisione Apostolica.

269 Probatur 1. ex Responso Clementis VIII. allegato *n. 263.* ubi Pontifex hoc casu requirit expressè novum consensum utriusque, admonito prius marito de nullitate Matrimonij. 2. Consensus illius, qui seridè contraxit, moraliter solum perseverat tamdiu, quamdiu consentiens credit Matrimonium, à se inchoatum, per alterius consensum perficiendum, igitur hoc ipso, quod credat illud jam perfectum esse per consensum alterius factum, eo posito, cessat perseverare in eo consensus ad illud contrahendum. 3. Esto, consensus iste perseveret moraliter ultra tempus Matrimonij verè, aut fide contracti, sufficere tamen non potest ad Matrimonium revalidandum; quia cum defecerit conditio, sub qua voluit contrahere, nempe si etiam alter habeat animum contrahendi, talis consensus nullus fuit, & nullus manet, utpote qui alligatus fuit conditioni consensus primò præstiti, & non quocunque tempore præstandi; igitur necesse ad Matrimonium revalidandum erit, ut habità nullitatis notitiã, etiam is, qui verè consentit, ponat novum consensum.

270 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad 1.* Patet ex allatis Probationibus. *Ad 2.* Negatur Paritas; nam R. P. Schmalzgrueber *L. IV.*

Professio Religiosa sine determinata nullitatis notitiã per Habitùs delationem, vel quinquennalem perseverantiam renovatur, quia Ecclesia, seu Summus Pontifex, tanquam supremus omnium Religionum Prælatus hunc nulliter profecti consensum acceptat, & defectum consensus ex parte Religionis, ut harum, & illas profitentium paci tranquillitati, & saluti consulat, supplet; non autem ita supplere Ecclesia, vel Pontifex potest defectum consensus in Matrimonio ex parte conjugis, nullitatem Matrimonij ignorantis, utpote qui Jure Divino, & naturali requiritur, & esse personalis debet. *Ad 3.* Mandatum Procuratori datum ad Matrimonium contrahendum moraliter perseverat ex mente ipsius mandantis, donec id revocetur, vel tempus, pro quo datum est, præterierit. at consensus seridè consentientis solum durat ex mente consentientis eò usque, donec alter consenserit; consentit enim sub conditione, si & alter consenserit: cum igitur revera non consenserit, eo ipso & ille cessat. *Ad 4.* Etiam consensus Electorum non perseverat moraliter ad omne tempus, sed tantum usque ad tempus, in quod tempus Electus consensum in sui Electionem differre de Jure potest; nam hoc transacto, cadit Jure per Electionem quaesito, & Electoribus licet ad novam Electionem procedere. Unde hoc exemplo potius confirmatur nostra Sententia, quã diximus, consensum conjugis verè consentientis durare solum ad tempus, quo alter conjux debebat consensum verum & ipse præstare. *Ad 5.* Imprimis à cæteris Contractibus non semper bene Argumentum ducitur, ut patet ex eo, quod in illis defectus consensus possit suppleri à Jure, & potestate humana, à qua tamen suppleri nequit defectus consensus in Matrimonio. Deinde nec in cæteris Contractibus consensus unius perseverat ad tempus quomodocunque longum præstiti consensus ab altero; nam *l. stipulatio §. 1. qui presens 1. ff. de V. O.* dicitur, quod *intervallum medium*, modicum, ut Gothofred. *ibid. Lit. I.* addit, *non vitiet obligationem*: quale secundum eundem Gothofredum, est *intervallum unius diei, dummodo tamen intermedio tempore nullum extraneum actum fecerit*; nam ut idem notat, *Intervallum longum fit, si illo modico tempore ad actus extraneos, seu extranea negotia diverterit.*

Quæritur 5. Qualiter in praxi ignorans nullitatem Matrimonij sui de ea certior fieri, & consensus de novo præstari possit, ac debeat? *Certum est* ex dictis *n. 264.* non esse necessarium, ut reveletur ignorantia causa nullitatis, præsertim si ex crimine ista descendat; nemo enim tenetur se diffamare: sed sufficit, si pars Impedimentum ignorans certior fiat de Matrimonij nullitate, undecunque ista descendat, Pro quo

quo DD. communiter duos proponunt modos.

272 *Primus* procedit maximè, quando ex revelatione nullitatis nullum timendum est periculum scandali, diffamationis, destitutionis alterius partis, & liberorum; tunc enim conjux conficius Impedimenti tutissimè ager, si in genere sincerè alteri patefaciat nullitatem Matrimonij, dicendo v. g. *Timeo, vel puro, Matrimonium inter nos ex aliqua causa non esse validum: hinc rogo te, ut ad pacandam conscientiam meam tecum de novo contrahas, meque in conjugem tuum de novo accipias, prout ego te ex nunc in conjugem accipio*; nam si alter conjugem suum ita amet, ut sine hæsitatione dicat, *Placet, consentio, de novo te in conjugem accipio*, res salva est. Si verò interroget causam, potest vel rogare, ut ad hoc non se adstringat, vel dicere, se tempore contractus non habuisse verum consensum; quia quem habuit, nullus fuit: non esse autem, & nulliter esse paria sunt *l. quotiens 6. ff. qui satisdat, cog. Sanch. l. 2. de Matr. D. 36. n. 7. Carden. Cris. Theol. Dissert. 2. c. 8. art. 13. q. 3. n. 676. Wiestner hic n. 180. Reiffenstuel Append. n. 596.*

273 *Secundus* præcipuè locum habet, quando ex revelatione nullitatis Matrimonij immineret periculum vitæ, infamiae, sui desertio, destitutio proles susceptæ, & alia similia valde gravia mala; tunc enim revalidari potest Matrimonium nulliter contractum sine determinata notitia de nullitate, si remoto Impedimento, uterque existimatorum conjugum Matrimonium suum ratum esse omni modo, & ita velint, ut in eventum, quo prius initum esset invalidum, illud velint denuo novo, & serio consensu, per verba de præsentia expresso, contrahere, & actu ipso sic contrahant, *Sanch. D. 36. cit. n. 5. Palao D. 2. p. 5. n. 3. Bosco de Imped. Matr. D. 12. sect. 14. concl. 2. Gobat Quinar. tr. 5. c. 37. à n. 132. Sporer de Matr. c. 2. sect. 2. n. 459. Herinx de Matr. D. 6. q. 3. n. 33. Wiestner n. 190. Reiffenstuel n. 597.* nam ita ratificari potest etiam Professio Religiosa, sine determinata nullitatis notitia, ergo etiam Matrimonium; notitia enim nullitatis in ignorante Impedimentum ideo tantum requiritur, ut ignorantis novus consensus non referatur ad antiquum Matrimonium, quod putat esse validum; sed casu, quo conjuges putatitij ita ratificant suum Matrimonium, ut expressè dicant, se velle de novo contrahere, imò actu ipso per verba de præsentia contrahere, si prius initum sit invalidum, consensus iste jam non refertur ad Matrimonium invalidum antè contractum, ergo &c.

274 *Quæritur 6.* Quæ sint partes Confessarij, si advertat adesse Impedimentum, ignoratum à conjugibus putatitij? *R.* Hoc casu Gobat *Quinar. tr. 5. c. 37. n. 28.* eundem monet, ut nullitatem Matrimonij non temere, sed tum solum aperiat conjugibus putatitij,

quando advertit, eos in conjugio esse concordantes, seque amore sincero complecti. *Contra* si malè inter eos conveniat, & frequentes intercedant rixæ, in bona fide potius relinquendi sunt, quam ut in Impedimento, non satis cautè detecto, gravissimis incommodis, & scandalis anam der: quod consilium laudat, & approbat etiam Sporer §. 6. cit. n. 4. Wiestner n. 192.

Quod procedit, quando mala ista alio modo vitari nequeunt; nam si alius superesset modus, hic utique tentandus foret. Modum hujusmodi Confessario suggerit P. Reiffenstuel *Append. n. 603.* ubi suadet, ut ipse Confessarius conjuges putatitios, productis in medium commodis Matrimonij legitime contracti, incommodis contracti illegitime, & frequentibus periculis, ne illegitime contractum sit, observata commoditate temporis, & circumstantiarum, inducat ad renovandum consensum per verba de præsentia conditionatè, si ex aliqua causa Matrimonium ipsum esset invalidum; nam hunc si renovet sub conditione prædicta, sublato per Dispensationem Impedimento, revalidabitur Matrimonium, & conficietur Sacramentum.

*Quæritur 7.* An ad revalidandum Matrimonium, invalidè contractum, denuo requiratur præsentia Parochi, & testium? *R.* Ininteressè, an Impedimentum, ob quod invalidè contractum est Matrimonium, sit publicum, an verò occultum. *Si publicum est*, vel tale, ut per probationes legitimas publicum fieri possit, certum est apud omnes, ad revalidationem Matrimonij adhiberi debere novam præsentiam Parochi, & testium; hoc ipso enim, quòd palam, & in foro externo sciatur, prius Matrimonium publicè contractum fuisse nullum, de novo publicè contracti debet ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala *arg. Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de Reform.*

*Si verò Impedimentum occultum sit*, & Matrimonium prius in facie Ecclesiae contractum sit, sufficit, ut conjuges, habitæ, ut hæcenus dictum est, notitiâ de nullitate Matrimonij, inter se solos secretè contrahant. Ita communis, & patet ex formula Litterarum Dispensationis super Impedimentis occultis, ubi non tantum non injungitur nova præsentia Parochi, & testium, sed expressè præscribitur, ut putatitij conjuges inter se de novo secretè ad vitanda scandala contrahant, dum contra in Dispensatione super Impedimento publico semper expressè præcipitur, ut conjuges de novo in facie Ecclesiae juxta formam Concilii Trid. contrahant, manifesto indicio, quòd Concilium pro revalidatione Matrimonij, ob Impedimentum occultum invalidè contracti, dictam præsentiam Parochi, & testium non requirat. Videantur dicta *Tit. 3. de Despons. clandest.* à n. 118.